

www.libtool.com.cn

110. b.

211.



600095225T

www.libtool.com.cn



www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

De
corpore et sanguine Christi

quae
statuta fuerint in ecclesia
examinantur.

Scriptisit

Henricus Julius Holtzmann,
theologiae licentiatas.

Heidelbergae.

Sumptibus J. C. B. Mohr.

MDCCCLVIII.

110. 2. 211.

Prooemium. §. 1. p. 1.

Pars prima. §. 2—13. p. 2—13.

In universum exponuntur controversiae origines ac principia.

Pars altera. §. 14—44. p. 14—48.

Quae differant inter Lutheranam ecclesiam ac Reformatam, indagantur.

Pars tertia. §. 45—68. p. 49—80.

E Romana doctrina, breviter expressa, illustrior totius orationis fit confirmatio.



§. 1.

Accessuris nobis ad examinandam dijudicandamque quaestionem vere arduam et tot controversiis, iisdemque acerrimis, quot vix alia ulla agitatam, pauca praemittere liceat de ipsius operis quod tractamus ratione ac finibus; quos quidem arcitissimos constituere animum induximus. Hoc igitur ab ipso operis exordio fateamur, non id nos agere, ut ipsam rei de qua agitur veritatem investigemus et artificiose describamus; sed ut quae ab aliis jam sint prolatae de corpore et sanguine Christi sententiae, eas omni, qua fieri potest, et fide et brevitate percurramus atque ita exponamus, ut simul recentior totius controversiae status illustretur. Nam quaestio est ea, quae quo praecisius constricta eo facilius possit retineri ab infinitis illis atque intricatissimis, ut ita dicam, opinionum labyrinthis, quibus primis jam ecclesiae christianae temporibus adaptatae fuere fores. Neque hanc rem magna testimoniorum mole egere putavimus. Absolvamus igitur quam brevissime ea, quae jam diu nota notis ex libris nobis erunt afferenda, nihil omnino memoraturi, nisi quod vel in illustrandam, vel in confirmandam nostram sententiam eximiam habeat vim.

Pars prima.

§. 2.

Al. Schweizer, ¹⁾ F. Ch. Baur, ²⁾ ex superiore quodam loco totam considerantes de sacramentis controversiam, in eo posuerunt ultimam dissidii causam, quod Reformatis theologis absolutam ac divinam virtutem, et eam quidem, e qua ipsa hominis pendeat salus, in *re* aliqua sensibili includere omnino non licuerit. Cujus quidem sententiae adminiculum quamvis haberent satis firmum pervulgatum illud Reformatae ecclesiae placitum: „finitum non esse capax infiniti“: adversarium tamen nacti sunt gravissimum M. Schneckenburgerum. ³⁾ Neque vero solertissimus hic totius, quae tractatur, quaestionis investigator cavere potuit, quin et ab ipso subtilius nonnulla, quam verius disputarentur.

Omnino enim non esse cogitandum, cur homines alioquin cordati ob hasce res et tam levi de causa offensi seque invicem tam acriter aggressi fuerint per tria saecula amplius, nisi alia quadam de causa hoc factum nobis esset persuasum: id quidem viro praeclaro, cujus nunc de hisce rebus prodire acutissimae disceptationes, ⁴⁾ libenter concedimus. Sed excessisse fere videtur subtilitatis modum, cum talia audimus disputantem: ⁵⁾ ecclesiae reformatae addictum hominem ad sacramentum coenae tum demum debere accedere, ubi primum per veram morum emendationem efficacem esse vivamque in operibus ipsius fidem, sit certior factus. Quare et nimia quadam sollicitudine atque anxietate talem hominem saepius revocari a coenae usu: quem

1) Reformirte Glaubenslehre I. p. 19.

2) Theolog. Jahrbücher. 1847. p. 319.

3) ib. 1848. p. 78—91.

4) Vergleichende Darstellung des lutherischen und reformirten Lehrbegriffs ed. Güder 1865.

5) L. c. I. p. 64. 65.

tamen appetat Lutheranae confessioni adscriptus cum firma illa animi confidentia, qua credat remitti peccata.

Id quod verissime observatum an verissimas quoque ad causas sit ab ipso nostro autore revocatum, dubitamus. Postquam enim quod J. Müller in hanc rem disputaverat¹⁾ perlegimus, incertum nobis relictum est illud ipsum, a quo proficiscitur universa Schneckenburgeri oratio: videlicet ex operibus redundare omnem, quae est Reformatis hominibus, fidei certitudinem. Quod vero nonnisi accurata habita vitae exploratione accedunt ad sacramentum, proxima causa cernitur lex illa, quam „docendo et renatorum regere vitam“ habent persuasum.²⁾ Unde fit, ut de sacramentis ita saepius disserant, quasi ipsa sint opera a lege divina postulata. Neque igitur periculosius quiddam sentiunt, cum eucharistiae sacramentum esse sacrificium saepius perhibent; quippe qui non signa immolent exhibitiva corporis et sanguinis Christi, sed Apostolum Rom. 12, 1 secuti grato ex animo semet ipsos Deo offerant.³⁾ Ubi igitur primum de sacramentis instituit Calvinus sermonem,⁴⁾ ea facit esse divinae in nos gratiae testimonia, externo signo confirmata cum mutua nostrae erga ipsum pietatis testificatione. Est quidem et alia hujus rei causa; de qua, quoniam penitus est abdita, post haec diligentius dicendi erit locus (§. 26).

§. 3.

Quae quum ita sint quumque novi aliquid afferre, quo denovo illustretur *universa*, quae intercessit inter ecclesias evangelicas, dissensio, nobis minime sit propositum, breviter tantum explicemus, quid nobismet ipsis de sententia illa, quam excogitavere Baur et Schweizer, videatur. Quae quidem, modo ne ad dissidii *summam*, sed ad sacramenta tantum referatur,

1) Studien und Kritiken 1856. p. 321—327.

2) Schneckenburger l. c. L. p. 111.

3) ib. p. 151. 152.

4) in. 4, 14, 1. Cfr. et Schenkel: Wesen des Protestantismus I. p. 425.

ab ipse veritate ut abhorreat, tantum abest, ut potius multo amplius eam proferendam et quod illorum e sententia ad Reformatam tantum pertinet ecclesiam, idem tribuendum esse dicamus universae religioni Christianae. Qui enim falsorum deorum cultores solam naturam secuti sunt in religione ducem, nullam omnino exspectabant salutem, nullum animarum remedium, nisi ex *rebus* creatis, divinitus consecratis ac magica quadam virtute praeditis petendam. Contra qui nostrae fidei primi exstiterunt praecones, ita semper causam gerebant, ut ab omnibus rebus sensibus objectis revocarent hominum animos totamque *in agendo* conderent religionem, divinum proponentes humani generis liberandi ac sospitandi *opus*, cui nostra ex parte responderet illa fides, quae et ipsa sine intima animi viriumque *contentione effici* non potest. Quoniam vero opinionones, hominum animis penitus insitae, radicitus et subito non solent extirpari, factum est, ut primo quidem initio tota fere ecclesia superstitionis illius contagione afficeretur; paulatim tantum succrescente veritate. Neque aliter de ipso illo, quod intercedit inter ecclesias de sacramentis discrimine judicandum, nisi ita, ut hujus, quam modo significavimus, per omnia aerae vulgaris saecula gliscentis concertationis sedulo respiciantur rationes ac principia. Id quod totius operis summa erit demonstrandum.

§. 4.

Primo quidem et beato illo, quo ecclesia Christiana orta fuit, aevo, quamvis non exsisterent de sacramentis rixae vel controversiae, tam sinistris tamen auspiciis tota haec res tractari coepit, ut futura certamina jam prospicias. Est enim notum illud Ignatianum *φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, καθαρτήριοιον ἀλεξίκακον*; ¹⁾ nota illa Irenaei vox, qua docet corpora nostra ali corpore et sanguine Christi

1) ad. Eph. 20.

ad beatam resurrectionem; ¹⁾ nota, quae et ipse Tertullianus de „substantiae frivolae ac sordidae,“ carnis scilicet apud Deum praerogativa disserit; quam quidem vesci dicit corpore et sanguine Christi, ut et anima Deo saginetur. ²⁾ Quid multa? Postquam enim Nyssenensis sacramentum proposuit praesens ac strenuum corporis remedium, ³⁾ habemus Damascenum illum, quae a prioribus temporibus fuere tradita omnia complexum, coenae statuentem inesse βλάβης παντοδαποῦς ἀμυντήριον καὶ δύπου παντός καθαυτήριον. ⁴⁾ Quae quidem effata profecta esse ex moribus inveterata Gentilium superstitione plane imbutis, in aperto est. ⁵⁾ Erat φοικτὸν illud μυστήριον, cui astupebant vulgo, ita ut vim non solum insidentem revererentur illis medicamentis atque amuletis, sed etiam domi in arcubus ea asservarent, e coetu publico ad aegrotos deferrent, cum mortuis sepelirent, immo ad domos a daemonum vexationibus liberandas, ad evitandum naufragium, collo adjuncta, adhiberent. ⁶⁾

§. 5.

Atque hac quidem, quae Damasceni jam temporibus omnium fere per animos pervaserat, missa facta de sacramentis opinione, ad aliam accedamus ac diversam plane doctrinae speciem, quae, ut nihil dicam de Clementis, Origenis, aliorum sententiis, validissimum habuit propugnatorem Augustinum. Cujus quidem ex ingenio quanta profecta sit sententiarum discrepantia, salva tamen ipsius constantia ac firmitate, mirum sane est. Haud enim facile tu invenias imperii pontificii vel mores vel

1) Rückert: Das Abendmahl u. 1856. p. 500 sqq.

2) de orat. 6. de resur. 8.

3) Rückert l. c. p. 403—409.

4) ekd. 4, 14.

5) Hundeshagen: Geijer's Monatsblätter I. p. 345.

6) habes pro multis hos tantum locos: Tert. ad uxorem. 2, 5. de orat. 19. Euseb. h. e. 5, 24. Ambros. de ob. Satyr. 7.

superstitiones atrociores, quin aliqua ex parte habuerint Augustinum defensorem patronumque.¹⁾ Sin quaeris praesidia ac munimenta, quibus vel maxime opes suas firmaverint *nostrae ecclesiae* antesignani, ab Augustino sunt exstructa. Habes exemplum nostram hanc de sacramentis causam. Qui enim, ut hoc modo afferam, quia fuit sacramentum baptismi, etiam „dandi baptismi sacramentum“²⁾ introduxit itaque maxima cum ecclesiae Romanae utilitate sacramentali aliqua vi atque auctoritate secrevit clericorum ordinem a profano vulgo, idem proxime inter omnes patres accessit ad eam doctrinam, quam postea de sacramentis proposuere Lutherus, Melancthon, Calvinus, alii. Qui omnes in hac re totius argumentationis initium sumunt ab his Augustini verbis:³⁾ „detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*, etiam ipsum tanquam *visibile verbum*.“

§. 6.

Jam vero duplicis habemus cogitandi rationis initia; unde et tota nostra, quam instituimus, pendebit oratio. Vulgatum enim si sequamur et communem illam opinionem (§. 4), vim aliquam et efficaciam mirificam ponere oportebit inhaerentem sacramentis simili modo, quo sanandi vis dicitur inhaerere pharmaco; immo etiam fluentem et agentem in animos sive volentium, sive nolentium. Cui quidem sententiae nos *sacramentarismi* nomen imponamus aptissimum, verborum quasi usi compendio. Tale igitur est illud baptismi sacramentum, quod habes quasi depictum atque expressum his Paulini versibus:⁴⁾

sanctus in hunc coelo descendit Spiritus annuem
coelestique sacras fonte maritat aquas.

1) cfr. Sellar: theol. Jahrbücher 1854. p. 314.

2) de bapt. con. Donat. 2, 2.

3) tract. in Joh. 80, 8.

4) ep. 12 ad Serenum.

concepit unda Deum, sanctamque liquoribus alpis
edit ab aeterno semine progeniem.

Contra qui Augustinum secuti alteram in partem disputant, hoc vel maxime differunt ab adversariis, quod non in *re* aliqua *permanente*, sed in *actione* omnem ponunt sacramenti vim atque naturam, ipsam Christi religionem defendentes a falsa ac fucata ethnicarum superstitionum amicitia (§. 3). Id quod facile probabimus, ubi primum ea explanata fuerit de sacramentis doctrina, quae est inter utramque ecclesiam evangelicam communis.

§. 7.

Ut igitur et nos progrediamur a laudato illo Augustini loco (§. 5), accedere aliquid ad elementum dicimus, quo fiat sacramentum. Nullo igitur modo est in solis elementis acquiescendum, perinde ac si inclusam continerent aliquam medicinam. „Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti.“¹⁾ Quam quidem virtutem sacrorum nostrorum emendatores non ex elementis ducebant esse repetendam, sed ex verbo, accedente ad elementum. Sequitur, ut quidquid conveniat verbo evangelii, id sacramentis non sit denegandum, quae omnem suam dignitatem, operationem, virtutem debeant verbo Dei.²⁾ Quod quia operatur in cordibus miraculosa quidem et coelesti ratione, minime tamen artis magicae modo — mentem enim, non corpus tangit: liberantur et sacramenta ab omni illa, qua alias afficerentur, superstitionum magicarum specie. Nam „sicut evangelium — verba sunt Chemnitii³⁾ — est potentia Dei ad salutem omni credenti, non quod magica quaedam vis characteribus, syllabis aut sono verborum inhaereat, sed quia est medium, organum, seu instrumentum, per quod Spiritus Sanctus efficax est proponens, offerens, exhibens, distribuens et applicans

1) Augustin: in Joh. tract. 26, 11. cfr. et Rückert l. c. p. 360sqq.

2) Gerhard loc. 19, 6, 55.

3) Examen conc. Trid. Genevae 1641. p. 215.

meritum Christi et gratiam Dei ad salutem omni credenti; ita etiam sacramentis tribuitur virtus seu efficacia, non quod in sacramentis extra seu praeter meritum Christi, misericordiam Patris et efficaciam Spiritus Sancti quaerenda sit gratia ad salutem, sed quia sunt causae instrumentales“ etc.

§. 8.

Itaque omnes qui nostrae ecclesiae e placitis sacramentis ad salutem esse utendum sunt edocti, liberantur tenacissimis quibusdam dubitationibus ac scrupulis. Quippe quum „etiam piorum animi saepe huiusmodi cogitationibus possint tentari: quum *verbo* Deus omnia, quae ad salutem necessaria sunt, offerat et exhibeat, cumque fides in verbo illa invenire et apprehendere possit, quid opus sit *sacramentis*? posse igitur sine salutis dispendio usum sacramentorum negligi“. ¹⁾ Ac primum quidem hoc certe concedendum, quod affirmat insuper Apologia: eundem plane esse et verbi et sacramenti effectum. Sunt enim non modo duo unius rei capita, quae possunt ad unitatem quandam revocari, quoniam sunt ambo gratiae ac salutis consequendae media: sed, si proprie velimus loqui, *unum modo* concedendum erit gratiae medium, videlicet verbum, quod propenitur, si Chemnitium sequimur, aliquando simpliciter per se, sive nudum, aliquando vestitum seu visibile factum, ita ut quod per aures penetrat in animum, etiam externo elemento ingeratur sensibus. Neque inauditum hoc apud posterioris quoque temporis doctores Lutheranos. Ipse enim Quenstedt ²⁾ unum tantum proprie dicendum esse fatetur gratiae adminiculum, licet discrimen ponat inter verbum *ἀκουσόν* et verbum *ὀφθαλόν*. Unde non solum id efficitur, quod Calvinus ³⁾ falli ait eum, qui plus aliquid per sacramenta sibi conferri putet, quam quod verbo Dei oblatum vera fide percipiat: sed etiam

1) ib. p. 212.

2) prs. IV. pg. 78.

3) in. 4, 14, 14.

si ex mediis quibus Deus in largienda sua gratia utitur, esset alterutro carendum, id de sacramentis prius posse concedi¹⁾; a quibus, quoniam verbo tantummodo sunt tanquam „appendices“ adjuncta²⁾, absoluta necessitas omnino abest.

§. 9. .

Porro si quaerat quispiam, cur talia elementa a Deo in super adjecta fuerint verbo, decurritur ad naturae imbecillitatem, ad carnis infirmitatem³⁾; cui quidem consulens clementissimus Deus voluntatem suam paternam verbo promissionis manifestasse non contentus, externa quoque addidit signa, „ut per duas res immobiles firmiter solatium haberemus“⁴⁾, omnisque excluderetur dubitatio. Id quod ita inter omnes constat, ut nullis omnino egeat testimoniis. Nihilominus ne contraria permisceantur, paucis notandum putavimus. Ad corpus enim pertinet sacramentum ex utraque, quam exposuimus, doctrina. Verum permultum interesse quis est quin videat, utrum in corpus sive a morbis ac periculis defendendum sive ad immortalitatem alendum exerceant vim suam sacramenta (id quod sacramentalismi est); an ideo tantum sensus nostros afficere velit Deus, ut carnis imbecillitati subveniat firmamque et immotam nostram reddat fidem? Ac persaepe quidem certo nequit affirmari, abeantne patres in hanc, an in priorem illam sententiam, cum ad corpus referunt sacramenta. Chrysostomus quidem ita de sacramentorum usu disserit, ut sine signis Deum traditurum fuisse dicat dona sacramentalia, *si essemus incorporei*. Et quoniam ipsi conflati simus corpore et animo⁵⁾, etiam bapti-

1) „non privatio, sed contemptus sacramenti damnat“. Augustinus.

2) Calvin. in. 4, 14, 3.

3) Cfr. Calv. in. 4, 14, 1—3. Melancthon: loc. theol. ed. Augusti p. 148. Chemnit. l. c. p. 212.

4) Hbr. 6, 18: quo loco utitur Gerhardus 19, 6, 53.

5) Gregorius Nazianzenus. orat. 40: *διετῶν δὲ ὄντων ἡμῶν, ἐκ ψυχῆς λέγω καὶ σώματος καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ ἀοράτου φύσεως.*

smus dicitur duabus ex rebus constare, scilicet aqua visibili et invisibili Spiritus sancti concursu. Quae omnia in Augustini sensum facile dices accipienda esse, nisi alii obstarent ipsorum Chrysostomi et Gregorii loci. Contra Lutherus et Calvinus ita semper disputabant, ut omnis excluderetur verborum ambiguitas ¹⁾).

§. 10.

Jam vero si respexeris ea, quae sunt nobis modo disputata (§§. 7—9), in agendo versari talem sacramentorum usum facile concedes. Quare et veteres ecclesiarum nostrarum doctores non tam signa perhibent esse sacramenta, quam „ritus in oculos incurrentes.“ Actionem enim quamvis in primordiis disputationum non collocent Reformatores, sed initium capiant a sacrae rei *signo* ²⁾), invisibilis gratiae *visibili forma* vel alio quodam Augustini verbo: ³⁾ tamen id tantum admittunt, si Chemnitio licet uti interprete ⁴⁾), externum et visibile elementum sive signum quod certo externo *ritu tractetur*, exhibeatur et usurpetur. Ergo postulent signum, quia postulant actionem.

Gerhardus ⁵⁾, ut hunc unum e doctoribus posterioris aetatis Lutheranis afferam, sacramentum in genere definiendum esse disputat non per signum, ut Calvino placuisse dicit, sed per actionem. Quo quidem e felicissimo rei initio longius mox procedit. Quod vero Calvinum arguit, idem crimen in Lutherum

1) Lutherus: „Denn wir arme Menschen, weil wir in den fünf Sinnen leben, müssen ja zum wenigsten ein äußerlich Zeichen haben neben dem Wort, daran wir uns zu halten und zusammen zu kommen vermögen.“ Cfr. Eschenfel l. c. 406. Calvin. l. c. 4, 14, 6: quia carnales sumus. 4, 14, 8: quando animales sumus, qui humi semper adrepentes et in carne haerentes nihil spirituale cogitamus.

2) Ita ex. gr. Calvinus l. c. 4, 14, 1.

3) Percurras Calvini inst. libri IV. quartum decimum caput, ubi totius fere Augustini habes epitomen.

4) l. c. p. 198. 210.

5) 19, 3, 24.

vertere merito atque optimo jure potuit (§ 53). At Calvinus dissidet quidem verbis, re ipsa cum Gerhardo consentit; actionem non tam negans, quam reticens; esse enim vult sacramenta externa symbola, quibus benevolentiae erga nos suae promissiones conscientis nostris Dominus *obsignet*¹⁾; ita ut nihil obstet quominus et „*Deum per sacramenta agere*“²⁾ fateatur. Quam quidem actionem Reformata ecclesia in sacramentis diligentius fere, quam Lutherana, semper tuebatur³⁾.

§. 11.

Neque fuit probatu hoc difficile utriusque ecclesiae doctoribus, quum ex ipsa institutione sumere possent argumenta. De altero enim sacramento quum Christus praecipiat: „baptizate in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti“, de altero: „accipite, comedite, bibite“; sunt sane verba actionem significantia. Quidquid igitur ab institutione pendet, quum nec substantia possit esse, nec res, sed actio; sacramentorum rationi repugnant omnia quae praeter et ultra *δόσιν καὶ λῆψιν* fieri solent cum elementis ab iis, qui stant ex parte sacramentarismi. Adeo hic ipse est locus, ubi certissime possunt internosci qui in unam, et qui in alteram abeant sententiam. Augustinus enim ubi pri-

1) in. 4, 14, 1.

2) locus exstat apud Ebrard: *Abendmahl* II, p. 506. 507.

3) Laudamus, quia nihil hanc in rem afferunt Schweizer et Ebrard, Helveticam confessionem II, 19: „ritus sancti aut sacrae actiones“; Petrum Martyrem loc. cit. cl. 4, cp. 10 § 36: „*Sacramenta tota in actione consistunt, quae sublata non amplius sunt sacramenta.*“ Bucan. 47, 2: „sacramentum seu actio sacra.“ Addimus aptissime Osterwaldii in compendio theologiae 1755, p. 357. 358 dictum: „sacramenta sunt nobis ritus sacri sive ceremoniae aut actiones externae a Deo institutae, ad foederis confirmationem. *Ritus dico, non signa tantum*; signum enim solum ut panis et vinum, sacramentum non constituit; sed *actio integra* cum verbis, quae circa illa adhibentur. Quae observatio perutilis est ad rectam hujus materiae intelligentiam: etenim controversiae et errores ferme omnes orti sunt, quod ad signum solum, non vero ad ritum integrum respuerint Christiani“.

num in actione consistere sacramentum intellexit, statim abrogatus et prohibitus est in concilio, Hippone anno 393 celebrato, mos ille mortuis eucharistiae in ore locandae (§ 4). Sequebantur aliorum conciliorum decreta, adeo Caesarum edicta, anathema inferentia in eos, qui non *consumerent* eucharistiam a sacerdotibus acceptam. Atque ex eadem hac de sacramentis sententia regula illa efficiebatur apud omnes ecclesiae nostrae doctores vulgata, *nihil habere rationem sacramenti extra usum divinitus institutum*.

§. 12.

Quoniam varia sunt actionum genera, addi solet, esse sacramenta *sacras actiones, in quibus Deus nobiscum agat* nobisque vicissim sit res cum Deo, ita tamen, ut Deus sit, qui dispenset, nos, qui recipiamus (*δόσις καὶ λήψις*). Nec solum duo hi actus in unam conveniunt actionem sacramentalem, sed etiam ipsa *δόσις* quae vocatur, ita describitur, ut sit, si penitius indagaveris „actus in actu“. Qui enim primitus instituit ecclesiaeque commendavit sacramenta, idem nunc quoque dispensat, hominis tamen usus ministerio. Minister enim ecclesiae, quamvis in dispensatione sacramentorum non suo, sed Domini nomine agat, nec suum quoddam, sed alienum beneficium conferat, haec tamen vehementissima inter Lutheranos et Reformatos theologos agitur lis, utrum semper et ubique Dei actus includatur in illo ecclesiae actu, an separari possit unus ab altero ¹⁾. Qua quidem controversia, quum ad praedestinationem potius, quam ad sacramenta pertineat, missa facta, revertamur ad propositum.

§. 13.

Si in actione continetur, non in re aliqua, tota sacramentorum vis ac natura, hoc certe et immote colligitur, esse eun-

1) Schneckenburger l. c. I, p. 254: Wie reformirt beim Abendmahl die nicht wahrhaft Gläubigen nichts empfangen, als Brod und Wein, so bei der Taufe die, welche nie wahrhaft gläubig werden, also reprob sind, auch nichts, als ein Wasserbad.

dem Dominum, qui in actu *δόσεως* dispenset, eundem, qui in actu *λήψεως* recipiatur. Alias enim omnis hujus sententiae diffringeretur nervus atque constantia, re aliqua interposita inter Christum et sumentes, quae et exhiberetur ab illo et perciperetur ab his. Sequitur, ut nullum alium in modum Christus sit, ubicunque sacramentis utimur, praesens, nisi secundum quem ipse est sacramentorum dispensator vel, ut loquuntur libelli scholastici, causa efficiens. Id quod a Reformatis theologis affirmatum ¹⁾, pari aequitate a Lutheranis non concedebatur, quippe qui alium esse, qui dispensaret, aliud, quod dispensaretur, plane habuerint persuasum. Jam vero totius habes controversiae, quae inter utramque agebatur ecclesiam, cardinem ac summam. Lutherus enim si totum *θεάνθρωπον* interdum facit in coena praesentem, id tantum intelligit, ipsum esse, qui corpus et sanguinem suum vescentibus exhibeat. Quod quidem si reticeremus, facile ex dissimilium vocum moderatione quasi concordem possemus et congruentem efficere concentum. Attamen ut in fidibus quamvis paulum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet, ita et ab iis qui accuratius inquirunt, Lutherani jam deprehenderentur absonum quid canentes. Neque posset ultra latere dissensionis causa; quae tota, sola, integra cernitur in *corpore et sanguine Christi*. Quia enim vere adesse et exhiberi in coena sacra corpus et sanguinem Christi jam antea certum deliberatumque habent Lutherani, ipsorum sententiae nexum ac perpetuitatem subito dirumpere coguntur.

Cujus igitur confusionis penitius erunt nunc indagandae origines et causae; item examinanda fulcra ac firmamenta, quibus instruxerunt theologi Lutherani sententiam suam; qua quidem in re explicanda id potissimum spectabimus, ut inquiramus, possitne aliquo modo caveri, ne tota abeat haec sententia in eorum superstitionem, qui sacramentarismum secuti sacramentum habent non actionem, sed divinam aliquam ac mirificam

1) Schneckenburger zur *kirchlichen Christologie*. p. 151.

vim, insidentem certis rebus sensibilibus, licet consecratis qualibet dedicatione.

Pars altera.

§. 14.

Ubi suo arbitrio Lutheranos modo vidimus discedentes quasi a via munita, Calvinus progreditur, sibi ipsi constans et necessitati obtemperans. Si *actio* Christi sacramentum, est utique Christus, qui dispensat, *Christus, qui sumitur*, nulla interveniente re. „Quare is demum et apte et utiliter de sacramentorum natura, vi, officio et fructu disseret, *qui a Christo exordietur*“ ¹⁾. Nunc vero quanam haec sit Christi in sacramentis actio, satis liquet, sunt enim, si viam, quam sumus semel ingressi, continuamus, sacramenta sacrae et solemnes actiones divinitus institutae, quibus Dominus, hominis ministerio usus, per verbum certum cum visibili et externo elemento *semet ipsum ac bona sua* coelestia dispensat; quandoquidem eum accipimus Christum, in quo peccata remittuntur, mors aboletur, vita aeterna communicatur. Quem quidem ordinem Reformati theologi egregie servabant, videlicet ut ipse Christus primum esset sacramenti donum, quod sequerentur merita illa, traditione corporis et effusione sanguinis parata, quae sunt remissio peccatorum, gratia Dei et vita aeterna ²⁾. Hoc enim Calvinus semper monuit, nos ubi primum cum Christo in unum corpus coaluimus, ipsius participes factos in bonorum omnium communicatione virtutem quoque sentire ³⁾. „Ipsam a nobis possideri necesse est, neque enim bona nobis sua aliter communicat, nisi dum se nostrum facit.“ ⁴⁾ Fides enim tam arcte nos

1) Cons. Tigur. 1.

2) cfr. Ebrard: Dogmatik II, p. 594.

3) in. 4, 17, 11.

4) Calvinus in Cat. Genev. Niemeyer: collect. p. 166. Alium locum

cum Christo nectit et conjungit, ut quae Christus habet, ipsi habeamus et eorum vim et usum sentiamus ¹⁾. Contra Lutherus et postea quoque per aliquid temporis ecclesiae Lutheranae assectatores, si de fructu sacramenti disputabant, aut nihil omnino proferebant, praeter remissionem peccatorum, aut cum Chemnitio ²⁾ inter beneficia a Christo per sacramentum in nos collata praecipuum locum tribuebant remissioni. Immo Gerhardus, quamvis docens fructum sacramenti multo uberiores, insitionem scilicet nostram in Christum per coenam, regenerationem per baptismum, ubi in genere de sacramentis dicit ³⁾, dispensari censet per ea bona coelestia „ad offerendam singulis utentibus ac credentibus applicandam atque obsignandam promissionem de gratuita remissione peccatorum evangelii propriam.“ Quae quidem opinio, cur tam in profundum egerit radices, postea dicemus (§ 57).

§. 15.

Jam vero sole clarius hoc efficitur, esse *unam* gratiam, quae *eadem* offeratur et in verbo et in sacramentis, itaque teneri ac servari pie illud, quod ab utriusque ecclesiae doctoribus de sacramentis in genere disputatum fuisse cognovimus (§ 8). Quippe quum hoc tantum intercedat inter verbum et sacramentum discrimen, ut Christi illa nobiscum communio, quamvis naturâ suâ perpetua, tamen ad fastigium quasi eveniatur, ubi in sacramentis Christus nos vivificat. Id quod Calvinus optime illustrat: unicum esse animae nostrae cibum Christum, ideoque ad eum nos invitari a coelesti Patre, ut ejus communione refecti vigorem subinde colligamus; id quod fieri docet „cum per evangelium, tum *illustrius* per sacram coe-

laudat Schenkel: *Befen* x. I, p. 573: „ut noster factus nobiscum sua omnia communicet.“

1) Danaeus isag. 4, p. 276.

2) l. c. p. 266.

3) 19, 7, 109.

nam.¹⁾ Neque aliter sentiunt et Lutheranorum plurimi: nudo verbo notiora esse sacramenta, quia non solum aurium, sed etiam oculorum sensui sese ingerant; efficaciora, quia per ea fiat unicuique ex ecclesia applicatio gratiae. Verbum enim praedicatum omnium ferit aures; verbum sacramentale virtute Dei annuntiatur, offertur, exhibetur, applicatur, obsignatur etiam singulis, qui cum fide sacramentis utuntur. Quem quidem sacramentorum finem in libris illis, priore utriusque ecclesiae aetate ad pios sensus excitandos atque alendos conscriptis legere ac relegere licet plane eundem: scilicet ut omni dubitationi occurratur, an et nos in Dei foedus simus recepti, neve ex dubitatione in diffidentiam, ex diffidentia in desperationem, ex desperatione in mortem aeternam prolabamur, ideo Christum in sacramento baptismi se nobis offerre; porro ne iterum dubitatio priatur, liceatne nobis per veram poenitentiam ad primaeum illud foedus in baptismo initum redire, et quia peccati onere et carnis infirmitate pressi ad ipsum mediatorem in coelum ascendere non possimus, ideo Dominum ad nos descendere, immo inveniri, apprehendi ipsum in sacra coena, ne ultra cogamur dicere Rom. 10, 6: quis ascendet in coelum? Habes igitur, ubi ad promovendam atque confirmandam pietatem animum attenderis, utriusque ecclesiae sententias, haud ita multum differentes.

§. 16.

Adeoque fuit tempus, ubi doctrinae hujus sanitas atque simplicitas prorsus videbatur obtinuisse atque in communem omnium consensum venisse, ita ut si quae in morem sacramentarismi a quibusdam Lutheri discipulis disputata fuerint, a plerisque in meliorem sensum acciperentur²⁾. Neque vero hi alie-

1) in. 4, 17, 1. 5.

2) Hepp: Die confessionelle Entwicklung der altprotestantischen Kirche Deutschlands, die altprotestantische Union u. 1854.

num quid ~~et a Christo separatum~~ credebant esse *corpus ejus ac sanguinem*, sed hisce vocibus in institutione sacramenti usurpatis per ambitum quendam verborum *ipsum* indicari *Christum*. Cujus quidem sententiae auctorem patronumque habebant Melanchthonem, hoc perpetuo moerentem: non corpus exsangue, non sanguinem sine corpore sumi, sed integrum et vivum Christum. Qui quum singulos jubet manducare suum corpus et bibere suum sanguinem, ad singulos quoque pertinere et vitam suam et mortem omniaque inde parta beneficia testatur. Exstat igitur, ut Melanchthonis utamur verbis, coena, exhibitae et ad singulos applicitae promissionis evangelii testimonium. Id quod aptissime convenire cum iis, quae de sacramentorum finibus supra in universum disputavimus, facile est intellectu.

§. 17.

Sententia, quam modo explicavimus, per editionem Augustanae quam dicunt variatam divulgata et per aliquot tempus omnium fere consensu probata est ¹⁾. Id quod eo facilius fieri potuit, quo plura et ab ipso Luthero viderentur eundem plane in sensum perscripta. Cujus quidem pacis reconciliatores hoc tantum in errore sunt versati, quod Lutheri de corpore et sanguine Christi satis crassam opinionem tam facile et subito in ipsorum verti posse sperabant mitiorem meliusque excogitatam sententiam. Lutheri enim permultis contra Carolstadium, Zwinglium, Bucerum, alios perscriptis et disputationibus et confessionibus et propositionibus, immo ipsa in primitiva Augustana a Philippo Melanchthone explanatam doctrinam valde discrepare ab humaniore hac dicendi ratione, non potuit obscurari. Mox igitur exstiterē, qui abrogatam et tacito fere compressam Lutheri sententiam e latebris protraherent ac bellum inferrent saevissimum omnibus, qui utebantur in usu sacramentorum magistris Philippo et Calvino. Anceps per paululum pugna. Mox

1) ib. p. 116—130. 166—171.

victoriam retulere veteris instauratores opinionis, positoque victoriae monumento Concordiae libro, quem vulgo ipsius Lutheri habebant opus quasi postumum, id tantum et in posterum cavebant, ne vel minima contrariae sententiae societate continerentur.

§. 18.

Ita quidem factum est, ut exoriretur orthodoxum illud quod fuit de coena sacra ecclesiae Lutheranae placitum. Quod quidem ne fucatum exornatumque magna recentiorum assectatorum industria, sed verum habeas ac „reale“, haec fere addenda censemus. Quod dicitur corpus Christi sumi in sacramento, quin sit intelligendum corpus naturale et physicum, omnino dubitari nequit. Putabatur enim non genere, sed gradu tantum tenuitatis differre nostris a corporibus. Sic enim disputabant veteres theologi contra eos, qui quodlibet corpus naturale posse et oculis spectari exciperent: esse et corpora, quae visum nostrum effugerent, qualia essent aër et ignis; id quod multo etiam magis asserendum ducebant de tenuissimis ac subtilissimis corporibus, quae coelesti gloria perfusa carnalibus, obscuris et crassis oculis spectari omnino non possent (*ore tamen sumi!*), nisi peculiaris dispensatio divinitus accessisset. Neque hoc omitendum, quod Gerhardus ¹⁾ talem dispensationem iis tribuit, quibus resuscitatus Christus apparuit; immo et in carne viventis Christi corpus non semper oculis fuisse visum ²⁾. Quale igitur in coena corpus proponatur secundum hanc doctrinam, minime jam ignoramus; quippe qui doceamur ex articulis visitatoris, anno 1592 in electoratu Saxoniae publicatis ³⁾: „quod exhibeatur et accipiat *verum et naturale corpus Christi, quod in cruce pendit*, et verus ac naturalis sanguis, qui ex Christi latere fluxit.“ Quae quidem formula ita est composita, ut si-

1) 22, 11, 115.

2) laudat Joh. 8, 59. Luc. 4, 39.

3) 1, 4. Concordia ed. Rechenberg p. 832.

lius simul ~~memores~~ ~~flamus~~, ~~quam~~ credendam Pontifices proposuere Berengario: „corpus Christi manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri“¹⁾. Id quod Lutherus saepius quidem negabat, semel tamen in famosa illa instructione, quaecum Philippum Casellas misit, affirmabat²⁾. Atque haec quidem de iis, qui, ut utamur verbis conquesti cum Calvino Melanchthonis, „crassius aliquid requirunt“³⁾.

§. 19.

Accedamus jam ad integram Lutheranae ecclesiae doctrinam, quo melius possit tota quae proponitur quaestio dijudicari. Credunt igitur, docent, confitentur, in eucharistiae sacramento veram, realem et substantialem corporis et sanguinis Christi praesentiam, exhibitionem, manducationem et potionem; quam praesentiam dicunt esse non essentialem conversionem panis in corpus et vini in sanguinem Christi, neque corporis ad panem, sanguinis ad vinum extra usum coenae localem aut perpetuam affixionem, neque panis et corporis Christi personalem unionem, neque localem corporis in panem, sanguinis in vinum inclusionem, neque incorporationem in panem, neque consubstantiationem, qua panis cum corpore Christi et vinum cum ipsius sanguine in unam rem physicam coalescat, neque aliud quiddam hujusmodi carnale aut physicum: sed praesentiam statuant et *unionem sacramentalem*, quae ita sit comparata, ut ex ipsius salvatoris institutione, pani benedicto corpus et vino benedicto sanguis Christi uniantur, modo quidem excedente omnem humanum captem, sed hoc certo cum effectu, ut cum pane et vino una manducatione sacramentali in sublimi mysterio corpus sumamus et sanguinem Christi. Qua quidem vera atque genuina orthodoxae ecclesiae confessione jubemur,

1) cfr. formulam a Cardinali Humberto concinnatam apud Mabillon Analect. 2. p. 486.

2) cfr. Ebrard: Abendmahl II, p. 375.

3) ib. p. 452.

si anticipando licet aliquid dicere, aut angusto et insidioso tramite inter sacramentarismi praerupta et sanae illius, quam ab Augustino ortam docuimus, doctrinae planitiem claudicare, aut per devia ac deserta diffugere, ubi aliter evadere nequimus.

§. 20.

Ac primum quidem de elementis coenae dicamus. Sigilla, quae actis publicis adduntur, per se accepta nullius sunt momenti, utpote quae frustra forent addita, si membrana nihil haberet descriptum¹⁾. At exstat promissio, scripta quasi in obsignatis literis: „hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.“ Elementa igitur, quamvis sint signa maneatque signa, tamen non sunt nuda signa, sed ea, quibuscum arctissimo institutionis vinculo in omne aevum sit rei ipsius, quam significant, conjuncta exhibitio. Dicuntur igitur ab utraque ecclesia esse signa obsignantia. Quoniam vero obsignant, utique etiam exhibere et conferre videntur Lutheranis; obsignationem enim pertinere ad rem exhibitam. Quare non solum vocantur signa, sed *media* quoque, *vehicula*, signa offerentia collativa²⁾; quibus vocabulis Reformati theologi merito sese abstinere. Gerhardus³⁾ igitur duos facit sacramentorum fines: priorem quod sint organa, media, *ὀργανα*, per quae Deus offerat, exhibeat, applicet credentibus promissionem remissionis, alterum, quod sint ejusdem sigilla, *σφραγίδες*. Inde invehitur in Calvinum, quippe qui sacramenta velit esse tantum sigilla, gratiam jam antea collatam vel posthac conferendam et significantia et obsignantia. Nihil opus fuisset certamine, si inter actionem sacramentalem, in qua rem verti totam ipse agnoverat (§ 10), et elementum sacramentale bene distinguere voluisset. Sed pronos jam vides Gerhardi et aliorum animos ad infigendam elementis visibilibus eam vim, quam ex ordinatione et

1) Calvin. in. 4, 14, 5.

2) cfr. Chemnitii sententiam § 7 laudatam.

3) per totum septimum loci XIX caput.

institutione ~~Domini cum tota actione~~ ita conjungunt Reformati, ut non per res, sed per actus sacramentales Christus semet ipsum non modo offerat, sed applicet quoque credentibus. Neque vero, si elementa habent pro solis signis vel sigillis, fallacem faciunt Christum, ut vacuis figuris ludamur; nam eam semper tenent regulam, ut quoties symbola vident, a Domino instituta, certo cogitent, illic signatae rei veritatem *adesse*¹⁾, minime vero *inesse* in elementis, tanquam mediis. Sin a Reformatis quibusdam theologis conceditur, symbola sacramentalia non modo esse signa significantia, sed etiam praebentia et exhibentia rem coelestem, nimirum credentibus, haud satis circumspecte hoc ab iis factum est. Si enim symbolis tribuitur exhibitio, sui quasi juris haec esse videntur; cum revera tamen ipse Christus in actu sacramentali operetur, non solum exterius repraesentando per symbola gratiam suam ac salutem, sed etiam interiorius perficiendo; id quod ad stabiliendam fidem in immota quadam *πληροφορία* suffecisse visum est. Contra quum sit significandi negotium non Christi, sed symbolorum tantum: sequitur, ut quod dignis revera ab ipso Christo exhibetur, idem indignis per symbola significetur tantum. Plus tribuas elementis, et tolletur statim illud Calvin²⁾: perfungi tum demum munere suo sacramenta ubi interior ille magister Spiritus accesserit.

§. 21.

Quod si progredimur a signis ad illud, quod obsignant, duas esse constitutas ab Irenaeo, Augustino, aliis eucharistiae partes constat, visibilem elementorum speciem et invisibilem Domini carnem et sanguinem. Qua usi distinctione Lutherani inde a viris illis, qui affuerunt colloquio Montisbelligardi habito cum Theodoro Beza, duplicem voluerunt internosci sacramenti materiem, quarum quidem altera, quam vocabant terrestrem, in

1) Calvin. in. 4, 17, 10.

2) in. 4, 14, 9.

externo ~~videretur~~ elemento, altera coelestis in ipsa *re*, sacramentaliter oblata; cujus quidem rei medium et quasi vehiculum esse dicebant terrestrem illam materiem. Hoc vero, quod ex coelo ortum ita accessisse ferebatur ad elementum, noli credere contineri aut gratia evangelica, aut verbo promissionis. Neque enim porro dicendum erat: „accedit verbum ad elementum“; sed: „accedunt corpus et sanguis Christi ad elementa.“ Si tu quo tamen munere fungatur verbum quaeris, Hutterus, ne omnino ab Augustini regula recessisse videatur, per verbum respondet effici, ut duae illae materies, veluti partes essentielles unum constituent sacramentum. Jam vero immutari totam sacramenti faciem atque novum plane in ordinem redigi omnem ejus rationem, facile intelligis. Quod quidem quamvis etiam nunc dicatur stare in actione, quomodo non in re potius atque substantia, scilicet Christi corpore ac sanguine consistat, vix poterit perspicui.

§. 22.

At habent, quo avertant a se Lutherani tale crimen. Ut enim ab externa quae vocabatur eucharistiae forma sumamus initium, et qui a Luthero et qui a Calvino stabant, ita disserebant, ut ad ejus integritatem tres requirerent actus: consecrationem, distributionem, manducationem. Nihilominus in uno quodam et indivisibili constare contendunt Lutherani illam eucharistiae actionem, ita ut quoddam totum sit, quod frangi nequeat; esse igitur irritam consecrationem, a qua manducatio et distributio longo temporis intervallo sint sejunctae; irritam et distributionem, quam non sequatur manducatio. Unde sequi disputant, ut non includatur corpus Christi in quadam re sensibili, sed tantum manducetur ipso in actu sacramentali.

Id quod tum demum aliquid stabilitatis haberet, si corpore Christi vesceremur in coena *simul* cum pane. Ubi vero panis statuitur cum corpore *unio*, ita ut hoc quidem adesse et exhiberi Lutherani confiteantur *in*, *cum*, *sub* pane permittantque

panem dici esse corpus Christi: nos quidem non possumus, quin interrogemus temporis momentum, ex quo elementis, quamvis illocali et mirifico modo affixa sit coelestis illa, qua fruamur in usu, materia. Ac Pontificii quidem habent, quod respondeant, quippe qui *consecrationem* ponant in verborum pronuntiatione: „hoc est corpus meum“; et tacita quatuor vocabulorum super panem pronuntiatione converti substantiam panis in corpus Christi aperte fateantur. „Sicut ergo — monet Bellarminus ¹⁾ — si quis faciat sedem, cuius sedendo usus est, et tamen nemo unquam ibi sedeat, non propterea desinet esse sedes, immo etiam si quis faciat sedem, non ut ibi sedeatur, sed ut in spectaculo exhibeatur, adhuc erit verissima sedes: sic etiam sacrosanctum sacramentum non desinit esse sacramentum, licet nemo illo utatur ad id, ad quod est institutum.“ Quo clarius nihil dici potest. Quid vero de *consecratione* senserint Lutherani, quum multo minus liqueat, si totam eorum de unione sacramentali doctrinam certam et exploratam habere vis, in eos ita oportebit ac tamdiu inquirere, donec nulla remanserit in ipsorum confessione dubitatio.

§. 23.

Nec potest hic, patente ex supra allatis (§. 16) causa, adhiberi testis Melanchthon, quem in comitiis Ratisbonensibus, anno 1541 habitis huic sententiae patrocinatum fuisse accepimus, in ipso demum usu vere et realiter adesse Christi corpus et sanguinem. At firma stat ipsi Luthero sententia, illico post recitata institutionis verba poni realem corporis et sanguinis Christi praesentiam. Ita enim disputantem deprehendimus in brevi illa confessione, quae anno 1544 prodiit, ut rem aliquam salutiferam sine ulla verborum ambiguitate statuatur. Differebant quidem postea doctores et in hoc, quod Chemnitius, Hutterus alii in institutionis tantum verbis ponebant consecrationem;

1) De euch. 4, 2, 17.

contra Gerhardus, Quenstedt, alii cum verbis volebant habere conjunctas preces, ipsum Christum asserentes ita consecrasse. Quem quidem sacramenti autorem id affirmant per consecrationem a Patre coelesti impetrasse, ut quoties secundum hanc institutionis normam sacra coena in ecclesia celebraretur, verum ipsius corpus et sanguis mediantibus externis symbolis distribuerentur et acciperentur. Quare et minister, sacram coenam celebraturus, verbis institutionis repetendis jubetur consecrare panem et vinum; ita enim testari ministrum, vi ordinationis et institutionis Christi panem benedictum *nunc* esse communicationem corporis, vinum benedictum communicationem sanguinis Christi¹⁾. Quae quum ita sint, quamvis sonora voce Concordiae autores moneant, sacramentalem unionem perfici nec ministri pronuntiatione, neque ullo humano opere; quamvis saepe non effectivam esse consecrationem, sed declarativam affirmant theologi: ecquis talem doctrinam poterit defendere ab hujusmodi exceptionibus: ergone, quid ante consecrationem fuit panis, idem postea in, sub, cum pane corpus Domini? mutatus igitur per consecrationem panis? ²⁾ Neque vero refutantur talia suspicati definitione illa Buddei³⁾, qua consecrationem facit invocationem Spiritus sancti, ut Deus mittat Spiritum sanctum super dona proposita, qui eadem cum corpore et sanguine Domini divina potentia sua uniat. Si enim efficax haec invocatio, quid consequetur? Parum enim explemur sententiae illius, quae apud plurimos doctores in auctoritate fuit, solatio, videlicet ipsum illud momentum, ex quo corpus Christi in sacra coena

1) Gerh. 22, 13, 147.

2) Rückert (Hilgenfeld: Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie I, p. 22, 23): „Was vorher Brod war, das ist nachher Leib des Herrn: den Gedanken hat nie ein Mensch gedacht und wird nie einer denken, ohne bewußt oder unbewußt den andern mitzudenken, es sei das Brod verwandelt in den Leib; und was zwischen dem Vorher und dem Nachher in der Mitte liege, das bewirke die Verwandlung; und wer das letztere nicht wirklich denkt, denkt entweder das Erste nicht im Ernst, oder täuscht sich selbst.“

3) Inst. theol. p. 1151.

adesse incipiat, determinari omnino non posse. Nam ab iisdem theologis et hoc conceditur, Christi discipulos ex calice sanguinem bibisse, qui ordine naturae prius fuerit in calice, quam in ore sumentium.

§. 24.

Philippus Jacobus Spener¹⁾ huc referre non dubitat dictum illud servatoris, Act. 1, 7 quo non esse nostrum ait, tempestates aut tempora novisse, quae pater in sua potestate posuit. In quo, quamvis sit pie dictum ac bono sane consilio, tamen nobis acquiescendum non est. Ultimum enim hoc dari refugium nescientibus, quo pacto ex permultis, undique obortis incommodis, quorum tamen ipsi sint autores, emergant, quis est, quin videat? Quodsi Lutherani theologi salvi esse volunt atque immunes ab omni sacramentarismi contagione hoc dictitantes, fieri unionem, quia Christus praecepit, ut verba pronuntiarem et hoc *ageremus*, quod ipse fecerit: tamen merito premuntur a Bellarmino,²⁾ qui eos plane in Romana castra retrahit. Nam si consecratio non solum, ut Reformati volunt, ex gratiarum pendet actione, sed ex verbis institutionis repetendis, postulat ipse hic sensus verborum, quamvis *declarativam* tantum consecrationem constituentium, ut dicamus, etiam *ante usum* praesens esse corpus; id quod, dummodo subsequantur consecrationi et reliqui sacramenti actus, a nullo unquam purae doctrinae Lutheranae defensore est negatum. Est igitur hoc in confesso: simulac verba consecrationis recitentur, eo quidem consilio, ut elementa consecrata deinde distribuantur et manducentur, fieri mandati vi divini mirabilem illam corporis et sanguinis Christi cum elementis unionem. Id quod et ad vitae usum ita mox videmus translatum a Lutheranis, ut nulla amplius versemur in dubitatione. Johannes quidem Sa-

1) Theologische Bedenken 3. p. 76.

2) de euch. 4, 2, 10—14.

liger, pastor Rostochiensis, quum anno 1568 praesentiae Christi vim diceret exseri statim post recitationem verborum, a collegis oppressus est: mox in universa fere ecclesia Lutherana talis exstitit administrandi sacramenti ratio, qualem infelicitur anticipaverat Saliger Rostochiensis.¹⁾ Si unio sacramentalis per consecrationem jam declaratur, quid gravius admisere ecclesia Lubecensis alique coetus, tenacissimi ultra saeculi spatium vulgaris cujusdam consuetudinis, qua verba institutionis ipsam inter distributionem prorsus omitterent nec singulis communicantibus applicarent?

§. 25.

Consecrationem cognovimus a Pontificiis poni in recitanda institutione, a Reformatis sola in precatione; quam quidem utramque partem simul amplexi Lutherani utrimque simul premuntur. Neque ipsi Reformati ita sibi constabant, ut integram tuerentur doctrinae continuationem seriemque. Qui quum consecrationem versari rectissime docerent sola in precatione, qua gratia Dei invocaretur super symbola ad sanctificanda ea, id est a communi et vulgari usu eximenda ac sacrum in usum praeparanda et destinanda,²⁾ hoc tantum errabant, quod nimis concedentes traditioni dogmaticae, in actuum sacramentalium numero talem consecrationem omnino ponebant. Si enim quae nobis sunt supra (§. 12) de sacramentali actione disputata, respiciuntur, duos tantum consequemur actus sacramentales, quorum alter versatur in dispensatione ministri, divinitus praescripta (δόσις), alter in receptione summentium (λήψις). Sequitur, ut qui tertius praefigebatur in doctrina ecclesiastica actus, prorsus sit praecedendus, quippe qui non tam ad naturam et vim sacramenti sit necessarius, quam ad formulam sacrorum

1) Cfr. exempla quae prodigiosissima afert Ebrard: *Abendmahls II.* p. 694. 695.

2) cfr. Ebrard: *Dogmatik II.* p. 677.

ritusque ecclesiasticos antissimus; nihil enim habet rationem sacramenti extra usum (§. 11); quare ne sacramentalis quidem actus potest cogitari, qui ipsam dispensationem et receptionem praecedat. Verba autem institutionis non *ante usum* absolute requiruntur, sed *in usu*. Si retinetur sacramentalis aliqua consecrationis vis, ab ipso distributionis et manducationis actu separatae, ipsa sana doctrina aut supervacuum tolerabit onus, aut molesto degravabitur pondere.

§. 26.

Lutherani, postquam adscripta quidem consecratione in numerum actuum sacramentalium, ipsa ab *actione* sacramentali aliquid detraxere, animis hominum proponentes *rem* consecratam: haud scio casune magis, an ratione et consilio evenerit, ut fractionem panis in eodem plane loco collocarent, quem nos e totius doctrinae nexu ac perpetuitate consecrationi potius debere modo diximus. Solum enim actum esse disputant hanc panis fractionem distributioni inservientem, nequaquam vero sacramenti proprium; fregisse enim Christum non propter ullam significationem sacramentalem, sed quo melius posset distribuere panem; satisfieri igitur institutioni, si panis distribuatur. Agno igitur paschali ut corporis Christi typo usi Exod. 12, 46. Job. 19, 36 nihil dubitant, omnem fractioni detrahere „vim repraesentativam“; ¹⁾ hoc tantum spectantes, ut consuetudinem, quam erant haereditate ab ecclesia Romana consecuti, distribuendi scilicet in coena sacra pro pane placentulas orbiculares, aliqua argumenti specie fulciant. Jam vero *qualis sit ipse controversiae status*, ante omnium oculos positum. Quandoquidem, quum per ipsam ἀροκλασίαν sacra coena tota referatur in *actionem*, Reformati erant fractionis tenacissimi; in Lutheranorum vero eucharistia pro actione *res* cernebatur tam solida et compacta, ut jam *frangi* non pateretur. Qui-

1) Gerh. 22, 14, 159.

cunque enim ritus potuit eucharistiam revocare ad actionis genus, is Lutheranae ecclesiae doctoribus magis magisque videtur displicuisse. Contra qui a Calvino stabant, in agendo ita erant strenui, ut homini Lutherano legis potius, quam evangelii sacramentis frui viderentur (§. 2).

§. 27.

Totius quae intercedit inter Lutheranos et Calvinianos dissensionis cardinem egregie patefecit Melanchthon, qui in literis, datis 25 Octob. 1543 ¹⁾ miratur, „tot saeculis homines doctos non cogitasse discrimen inter agens liberum et rem animatam. Christus tanquam agens liberum adest actioni institutae; post actionem non vult esse inclusus pani, non vult ibi se alligatum esse.“ Id quod principium quasi tenentes ac primordium totius orationis, accuratius nunc et aliis quoque ex partibus pertentemus diversa illa, quae de corpore et sanguine Christi statuere Lutherus et Calvinus! Atque hic quidem, si in universum loquimur, convenit cum illa Melanchthonis, quam supra exposuimus (§. 16), doctrina: „si oculis animisque in coelum evehimur, ut Christum illic in regni sui gloria quaeramus: quemadmodum symbola nos ad eum *integrum* invitant, ita sub panis symbolo pascemur ejus corpore, sub vini symbolo distincte ejus sanguine potabimur, ut demum *toto ipso* perfruamur.“ ²⁾ Quum vero, quod hunc in modum integro tribuit Christo, alibi de carne, immo de corpore Christi dicere non dubitaverit, summis illigari videtur difficultatibus. Corpus enim Christi, ut fert humani corporis natura et modus, esse finitum disputat coeloque contineri, ut loco, quo semel receptum sit; a nobis vero tanto locorum intervallo distare, quanto coelum abest a terra. ³⁾ Id quod de carne non minus affirmat, quam de cor-

1) Corpus reformatorum V. p. 208.

2) in 4, 17, 18.

3) in 4, 17, 19. Cons. tig. 25.

pore. „Etsi autem incredibile videtur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum, meminimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus sancti virtus, et quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri.“¹⁾ Nec vero nos, si auxilio accurrunt et Spiritus hic, vim carnis vivificam credentibus communicans, et fides illa *ὁρῶνοβαρυνή*, expedimur statim ex angustiis. Quare et hoc semper exceperunt Sociniani et alii,²⁾ contraria esse, spiritualiter vesci corpore Christi, coelo recepto, et tamen vere vesci; videturque Calvinus etiam Julio Müllerero³⁾ nunquam quidem discessisse ab ea sententia, quam de coena sacra jam prima in institutionis editione proposuerat, sed prudentiae studiosus et pacis cupidus modo ad Lutheri sententiam, modo ad Zwinglii quam proxime poterat accessisse. At nos quid sit cum Zwinglio commune Calvino, post uberius dicemus (§. 61). Nunc quid differat ipse a Luthero breviter exponamus.

§. 28.

Julius Müller, Calvini explanans doctrinam,⁴⁾ ita saepe loquitur, ut nihil omnino interesse videatur, utrum de *corpore* Christi glorioso verba faciat Calvinus, an de *carne*. Sed fateamur necesse est, a corporis Christi gloriosi manducatione vera ac reali totum abhorruisse Calvinum. Contra Lutherum enim assectatoresque ita invehitur: „alii elabuntur, corpus hoc, quod in sacramento datur, gloriosum esse et immortale. Sed quaero, quale dabat discipulis Christus pridie, quam pateretur: an non verba sonant, mortale illud, quod paulo post traden-

1) in 4, 17, 10.

2) Strauss: Glaubenslehre II. p. 594: Die überflüssige Sinnlichkeit der Calvinischen Theorie zerfällt in sich selbst.

3) Lutheri et Calvini sententiae de sacra coena inter se comparatae 1858.

4) Herzog: theologische Realencyclopädie I. p. 27.

dum erat, dedisse?"¹⁾ Conferas quae de corpore Christi a Lutheranis disputari jam (§. 18) indicavimus, mox uberius demonstrabimus (§. 34), neque amplius te fugiet gravissimum discriminis momentum. Ubi enim accuratius de coena loquitur Calvinus, non tam „*corpus*“ ait manducari, quam „*carnem vivificam*.“ Quae tamen non est confundenda cum corpore sed ita potius intelligenda, ut sit glorificati Christi *humanitas*, secundum quam et in coelo nostrae naturae est consanguineus; quare et ab ipso Calvino opponitur divinitati.²⁾ Qui quamvis saepe inferat aliquem carnis Christi esum et sanguinis potum, illustrat tamen obscurius dictum ita, ut *per Spiritum* hoc fieri addere soleat. Quod vero pro carne aliquando dicit corpus, ponit quasi partem pro toto; quoniam minime alienum corpus a natura humana. Attamen quod vivificat, non est corpus, sed caro; et quidem ea caro, quam habet Calvinus causam quasi mediam et instrumentum, cujus ope Christus *θεάνθρωπος* omnem suam vitam cum hominibus communicet.³⁾ Qua quidem in doctrina si quid est tenebris offusum, non tam in manducatione corporis Christi hoc versabitur, quam potius in operatione Spiritus sancti, cui idem fere, atque carni contingere videtur, quippe qui vinculum esse dicatur conjunctionis ac veluti canalis, per quem quidquid Christus ipse est et habet, ad nos derivetur.⁴⁾ Quae quomodo explicanda sint et inter sese conjungenda, quum longum sit enarrare, nec pertineat ad rem, quam nunc tractamus, missa fiant!

§. 29.

Contra Lutheri si permultos de hac re perquirimus libros sciscitantes, quae maxime rationes eum impediverint, quin ei probaretur tolerabilior aliqua de corpore et sanguine sententia,

1) in 4, 17, 17.

2) in 4, 17, 9. al.

3) Cfr. Schenkel: *Wesen des Protestantismus* I. p. 348.

4) in. 4, 14, 12.

institui quidem nemo potest, ipsius naturam ad crassiorem quandam et manifestiorem sacramenti definitionem inclinasse. Immo in talem sensum ab eo disputatum fuisse non solum *post* Carolstadii, aliorum turbas, sed constanter *ab initio inde* usque ad finem mox demonstrabimus (§. 53—56): hoc tantum concedimus, virum in angustias compulsus ab adversariis, aliam qua invaderet viam indies minus invenisse et ingenii fervore abreptum subinde veritatis modum eo usque excessisse, ut diversis temporibus diversa ac plane contraria contenderet. A Zwinglio enim quum nihil aliud spectari animadverteret in usu sacramentorum, quam solas allegorias jejunasve significationes, eum voluit ostendere sacramenti fructum, in quo certum aliquod Christi cerneretur donum. Quum vero remissionem peccatorum solum esse sacramenti fructum jam antea pro certo atque explorato haberet, eo facile deducebatur Lutherus, ut corpus et sanguinem Christi, quae sunt revera dona sacramenti ac fructus, haberet tantum pro pignoribus; id quod quia in sensus non incurrunt, fieri omnino non potest.¹⁾ Porro quoniam pignora vocabat corpus et sanguinem Christi, in eadem et illud voluit cadere, quod iis tantum contingit, quae sunt revera, pignoribus, pani scilicet et vino, nempe ut exhiberentur et iis, quibus tamen propter incredulitatem negatur ipsum sacramenti donum ac fructus. Denique panis et vinum, quum non possent amplius esse pignora, necesse fuit, ut fierent aliud quid, media scilicet et vehicula corporis et sanguinis. Habes igitur in Lutheri opinione vera quidem ac bona aedificii fundamenta, sed perturbatum et inversum fere eum ordinem, qui nisi servatus erit, universa collabatur domus.²⁾ Id quod ipsius qui exstiteret interpretes ac vindices Lutheri optime sen-

1) Cfr. Schenkel l. c. p. 480, 481.

2) Etiam huc pertinet, quod alibi Schneckenburger l. p. 194: „Die Sache ist da, nur nicht am rechten Orte und im rechten Gemüthe eingefügt. Cfr. Dieckhoff: Evangelische Abendmahlslehre im Reformationszeitalter l. p. 227. 231.

serunt. Quia quoniam minus honorifice ipsis videbantur corpus et sanguis Christi pignoris tantum vice fungi, ipsa potius sacramenti dona esse docebant corpus et sanguinem Christi, indeque fructus eucharistiae ad nos redundare non solum peccatorum remissionem, sed multo etiam magis insitionem in Christi corpus et spiritualement ad vitam aeternam nutritionem.

§. 30.

Sed revertamur ad ipsum Lutherum. Quoniam quod promissioni additur pignus, talis res sit necesse est, quae tradi et accipi possit, porro quae, quamvis pretiosissima, per se tamen nihil efficiat, sed tota ad firmandam promissionem spectet, etiam Jul. Müller¹⁾ huc referre potest totam Lutheri opinionem: id quod in, cum, sub pane et vino datur et accipitur, non habendum esse *agens* quoddam, quod ex natura sua accipientem certo quodam modo afficiat, moveat, mutet, sed *rem*, quae ad communem quidem hominum usum exposita, ipsa tamen quiescat et arbitrio sumentis sive sancte sive profane tractari se patiatur; tamque arcto vinculo corpus illud et sanguinem per voluntatem et verbum Christi cum elementis esse conjunctum, tam firmam intercedere sacramentalem inter haec et illa unionem, ut indigni, cum vescantur, „*pane Domini*,“ utique et percipiant „*panem Dominum*,“²⁾ quippe cujus corpus iisdem plane vicibus sit obnoxium, atque elementum. Quae quidem Lutheri sententia, postquam ita ad fastigium quasi elata omnibusque numeris absoluta est, cognitionem illam, qua conjungitur cum sacramentarismo, ita prae se fert, ut in omnium apertissime veniat conspectum.

§. 31.

Quid mirum, quod hasce in opiniones acerrime impugnare theologi Reformati? Quibus quidem hoc est inter capita

1) Lutheri et Calvini sententiae etc. p. 29 sqq.

2) Fuit argute hoc ab Augustino dictum: Judam manducasse panem Domini, reliquos apostolos panem Dominum (tract. in Joh. 59).

rerum, quod Rudolphi his fere verbis exponit: „fieri nequit, ut Christus in nobis sit tanquam *mortuus, otiosus et impotens*.“¹⁾ Est igitur e Calvini sententia agens et vivifica semper caro illa Christi; neque aliter fit ejus communicatio, nisi agendo, efficiendo, vivificando. Et ita solum carnem Christi *edere* dici possunt, qui sacra coena pie utuntur; significatur enim manducationis voce vivifica illa carnis vis intimo animo suscepta et tanquam in cordis penetralibus abdita. Quoniam vero ita ad vitam spiritualem pertinet caro Christi, nullo modo potest esse res aliqua, quae sistatur in pane et accipiatur in ore, sed *ad ipsam hominis animam atque animae quidem intimas in medullas penetret oportet, nullo intercedente medio*. Qua quidem ex parte *toto coelo* inter sese differre Lutherum et Calvinum, aperte fatendum est; simulque et hoc concedendum, si semel pro *re* habere velimus in sacramentis *actum*, tum utique a Calvino ita exornatam ac subtiliter tractatam esse hanc doctrinam, ut pauca admodum ad perfectionis laudem desint. Habemus enim *veram* Domini actionem, *symbolica* inclusam in ecclesiae actione: non secus igitur animas nostras dicit Christo pasci, quam panis et vinum corporalem vitam sustentant;²⁾ ut corporis vitam panis alit, sustinet, tuetur, ita corpus vel potius carnem Christi vivificandae animae spirituale esse alimentum; quos corpori usus vinum affert fovendo, reficiendo, confirmando, exhilarando, eosdem spiritualiter nobis afferri sanguine Christi.³⁾ Quantam igitur Lutheranorum illa unio sacramentalis habet ad fiduciam et certitudinem sumentium confirmandam vim, tantam et Calvinus sic assecutus est, ut nec *in*, nec *sub*, sed *simul cum* pane porrecto Christus id ipsum intus compleat, quod exterius designat. Quae quum ita sint, quid ultra necesse sit, ut in sublime sese elevet anima vel potius coelum subvolet

1) Schneckenburger: *Vergleichende Darstellung* I. p. 135 sqq.

2) *ib.* 4, 17, 1.

3) *ib.* 4, 17, 3.

fides, huiusmodi perfruitur corpore et sanguine Christi, non potest intelligi. Est igitur haec tantum persuasio Calvinii, ut unus e multis.

§. 32.

Pateñeri igitur totam vidimus discrepantiam animorum in hoc uno de manducatione indignorum capite. Quoniam enim, si Calvinum sequimur, deseri a vi sua vivifica caro Christi nunquam potest, sed perpetuo agit nutritque spirituales hominis vitam, hoc certe efficitur, non ab omnibus promiscue posse accipi hanc carnem, sed ab his solis, quorum est cor fide apertum. Christus enim aut omnino non ingreditur hominum animos, quamvis verbum audiant, signa videant, elementa percipiant, aut ingressus semel, quia non potest esse otiosus (§. 31), vitam suam largitur. Cujus argumentationis fundamentum omnes Reformatores doctores habent locum Joh. 6, 54: „qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam.“ Jam vero indigni non habent vitam aeternam, nec vivificantur usu coenae: ergo non manducavere corpus Christi. Quoniam vero eodem in capite exstat Christi effatum: „Spiritus est vivificans, caro nil prodest“ Joh. 6, 36. firmissima illa Zwinglii arx, athenaeus Oecolompadii murus: Lutherani hoc vel maxime agebant, ut totum revocarent ab hac Christi concione certamen ad verba institutionis; neque enim inveniri Johannis in sexto propriam huius doctrinae sedem, neque integram coenae descriptionem. Id quod ita quidem disputant, ut ipsum Lutherum obliti videantur non ex institutione didicisse, panem consecratum non transmutari in corpus, sed ex Apostolo. Et quod dicit, dextram Dei ubique esse, ergo et Christi, qui sedet ad dextram, corpus in pane, num ex institutionis verbis hoc depromsit? ¹⁾

1) J. Müller: Die evangelische Union. p. 311. 312.

Sed quid hoc ad rem? Nostra enim nihil interest, disceptationes hic enarrare exegeticas. Sed ipsum Calvinum quum minime fugeret, non de coena apud Johannem haberi concionem, sed de perpetua illa ac spirituali communicatione, quae existeret et extra coenam: ¹⁾ assentiri videntur Lutherani, cum salutarem coenae usum, qui in spirituali corporis Christi manducatione et sanguinis potione cernatur, declarari posse ex illo Johannis sexto concedunt. Sed simul introducunt spiritualis illius manducationis a sacramentali manducatione separationem, hanc ad solam eucharistiam referentes, illam ad Johannis sextum; ²⁾ nam si indignorum manducationem asserunt, id non de spirituali manducatione, quae fit per fidem ad vitam aeternam ac solis vere piis convenit, sed de sacramentali intelligunt, quam omnibus hujus coelestis convivii hospitibus faciunt communem; cedere tamen in iudicium indignis. Jam vero totius ipsorum doctrinae consilium apertissime patet. Quaeritur enim, quomodo sit inter manducationem spiritualem ac sacramentalem distinguendum. Ergo referunt illam quidem in „*totum Christum*,“ hanc docent „versari circa *corpus Christi*,“ adeo etiam „circa panem, quo scilicet mediante corpus Christi accipitur.“ ³⁾

§. 34.

Quibus quidem verbis si certam aliquam sententiam subijcere volumus, haec sola est: separatim cogitari prorsus ab ipso Christo corpus ejus, quod sit *res aliqua ac substantia*, quae possit et ab iis percipi, qui Spiritus plane sint expertes. Dannnhauer ⁴⁾ per novem scalarum gradus differentiam exponit, quae inter spiritualem et sacramentalem intercedat manduca-

1) in. 4, 17, 5 sqq.

2) Gerh. 22, 16, 179.

3) ib. 177.

4) hodos. p. 799. cfr. Quenstedt. prs. 4 cp. 5 set. 2 qu. 3.

tionem; quorum in hoc versatur octavus, quod illa *totius Christi*, haec *corporis tantum* sit manducatio. Qua tristi doctrinae corruptione factum est non solum, ut aniles fabulae et quae-
stiones denuo recoquerentur (§. 24); sed quoniam nunquam sperandum est, fore, ut ad humanum captum intelligentiamque explicetur, quomodo *παρουσία* illa corporis differat et ab *ἀπουσία*, et ab *ἐνουσία*, et a *συνουσία*, et a *μετουσία*,¹⁾ semper erit in vulgi opinione coëxistentia quaedam corporis ad locum panis, delitescencia corpusculi sub pane, impanatio corporis, excavatio panis, duorum corporum perfusio. Nec talia somnabit solum profanum vulgus; nam separatione illa corporis ab ipso Christo semel instituta, quid mirum, ut hunc unum afferam, quod Rudolfus Stier ad Luc. 22, 44. Joh. 19, 34. Hebr. 9, 13, 14 diligenter inquirens deprehenditur, ubinam tandem manserit ille sanguis, in Getsemane et Golgatha effusus? ²⁾ Quumque sibi sanguinem in corpus rediisse persuadere nolit, multo magis ipsi probatur, separatum illum alicubi asservari et distribui passim coenae hospitibus. Qua in re nihil dixit novi, sed quam inter Spiritum et corpus videbat factam disjunctionem, eadem quin et inter ipsum corpus et sanguinem intercedere posset, merito non dubitavit.

§. 35.

Immo a veteribus Lutheranae ecclesiae doctoribus idem fere factum periculum accepimus eo scilicet consilio, ut sanguine Christi veluti ac materie quadam coelesti baptismi exornarent sacramentum. Ac nobis quoque de hoc conatu uberius est dicendum. Et quoniam omnis fere, quae est de coena inter utramque ecclesiam disceptatio pendet ex indignorum manducatione, sumamus et nos inde initium orationis. Argumentum enim petunt Lutherani ex baptismo, quem integrum omnes

1) Gerh. 22, 10, 69.

2) *Acten des Herrn* IV. p. 336. *Gebrüderbrief* I. p. 308.

percipiant, ~~fideles et infideles~~ Neque vero dubitat Gerhardus, 1) concedere, alia ratione adesse Spiritum sanctum in baptismo hypocritarum, alia in vere credentium; ita ut non sit intelligendum, cur idem statuere in coena recuset.

Sed, si accuratius examinare voluerimus doctrinam Lutheranam, erunt qui eam defendunt omnino impediendi in hoc jure, quo argumenta petant ex baptismo pro coena; quippe qui utriusque sacramenti aequalitatem corpore illo Christi, quo veluti dono superaddito exornaverunt coenam, ita funditus everterint, ut baptismus tabe fere ac paupertate videretur laborare congenita. Quid enim? si corpus et sanguis Christi sub eucharistiae elementis distribuuntur, quam longo intervallo disjunctum a tanta coenae praerogativa est hicce baptismus, quem nihil esse voluit Lutherus, nisi „verbum cum mersione in aquam“? quid mirum, quod eximium tenet inter sacramenta principatum illa coena, ut sit fere vocanda τὸ μυστήριον κατ' ἐξοχήν? Et Bellarminus si hoc ponit²⁾ inter baptismum et eucharistiam discrimen, illum quidem esse *actionem*, hanc vero *rem permanentem*, nonne habebit Lutheranos sibi ὁμοψήφους?

§. 36.

Juvat quidem, Chemnitium³⁾ audire tam acriter actionem sacramentalem defendentem ab omni sacramentarismi labe: si in eucharistiae institutione haec tantum verba exstarent: „accepit panem, gratias egit et dixit: hoc est corpus meum“: tum aliquid dicere potuisse Pontificios; nunc vero fregisse Dominum, distribuisse, dedisse, praecepisse, ut acciperent, comederent, biberent. Id quod optime sane disputatum est ac plane consentaneum iis, quae de sacramentis in genere utrique ecclesiae ab initio inde persuasa fuisse demonstravimus (§. 11). Postea

1) 21, 5, 85.

2) de euch. 4, 3.

3) l. c. p. 268.

vero longius progressi et hoc didicimus, aliud doceri a Lutheranis de sacramentis in genere, aliud plane ac diversum de eucharistia. Quae quidem, si postremo deprehenditur majore quodam intervallo distare a baptismo, mirari jam desinimus; habemus enim, quid in causa sit, compertum ac perspectum.

Id quod et ipsis theologis Lutheranis mox molestias afferebat haud exiguas. Musaeus enim, Baier, alii omnem ineperunt ex baptismo dimittere materiem coelestem; contra Vitarbergenses multum elaborabant in indaganda aliqua re, qua posset baptismus coenam aequare.¹⁾ Quo quidem in negotio vestigia secuti sunt Gerhardi,²⁾ Spiritum sanctum efficaciter agere affirmantis in baptismo *in, cum et per* aquam; id quod similitudinis cujusdam aquae cum elementis coenae instaurandae causa dictum esse, in aperto est. Mox propius quoque accedit ad hoc propositum, cum ita fere pergit: Christum non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundam humanam in baptismo esse praesentem ac proinde sanguinem Christi nequaquam esse a baptismo excludendum; ³⁾ aspergi enim nos in baptismo sanguine Christi, et *feri hanc sanguinis aspersionem per aspersionem aquae.*⁴⁾ Id quod una quidem ex parte et in baptismum ingerit eundem, qui est in coena, sacramentarismum; altera vero tollit potiore illam, quam cognovimus, eucharistiae conditionem. Enimvero si ex humanae naturae praesentia consequitur sanguinis praesentia, ne corpus quidem poterit a baptismi sacramento eximi. Habemus igitur corpus et sanguinem Christi in coena, corpus et sanguinem Christi

1) J. Müller: evangelische Union. p. 292—296.

2) 21, 5, 84.

3) ib. 86.

4) 21, 9, 278. Laudat haec fere Lutheri verba, quae exstant in postill. eccles. III. p. 34: Das Blut Christi wird kräftiglich in die Wassertaufe gemengt, daß man sie nun also nicht soll ansehen und halten für schlecht, lauter Wasser, sondern als schön gefärbt und durchdröhet mit dem theuern, rosinfarbenen Blut des lieben Heilandes. — Id quod per omnes fere partes respondet similibus de corpore Christi, quod adest in coena, Lutheri effatis.

in baptismo. Jam vero in hoc quum omnium e consensu naturale corpus non percipiatur, cur aliud quid statuitur in illa?

§. 37.

Quodsi ab hisce Lutheranae doctrinae laboribus ac discriminibus transitum facimus ad sententiam Reformatae ecclesiae, hoc ipsum ponendum censemus inter ejus virtutes, quod convenientia plane ac sibi invicem respondentia appareant ambo sacramenta, sive causam spectas efficientem, sive donum ac fructum, sive ipsam materiem coelestem. Id quod paucis tantum perstringamus.

Ex omnibus argumentis, quae ab utriusque ecclesiae theologis pro duplicitate sacramentorum enumerata sunt, hoc unicum valet, quod aliud esse dicunt fidei initia, aliud ejus progressus; aliud primitias, aliud incrementa; baptismum igitur esse sacramentum initiationis, sacram coenam medium augmentationis et corroborationis; quae ultra a Bellarmino ¹⁾ ingerantur vitae corporalis cum spirituali similitudines, minime posse haberi septenarii fulcra, sed pueriles tantum congruentias. Quae quum ita sint, recte Wollebius ²⁾ ita disjungit inter sacramenta, ut altero nos dicat *nasci*, altero *pasci*. „Regeneratio spiritualis una est, sicut generatio carnalis una est.“ ³⁾ Ut igitur in spiritualem vitam per baptismum inserimur atque ita, si velis latius dicere, regeneramur, ita per sacram coenam ad eandem vitam nutrimur. Nec diutius erit solius coenae privilegium corpus et sanguis Christi. Qui postquam in baptismo nostras animas nova vita imbuat corporique suo inseruit, continuo illam vitam alit, ita quidem, ut nos per arcanam Spiritus sui virtutem arctissime secum uniat et carnis suae cibo spirituali subinde reficiat. Est igitur, si rem ipsam spectamus, opus quasi supererogationis, quod ex Reformatis doctoribus nonnulli „san-

1) de effect. sacram. 2, 26.

2) 1, 22, 18.

3) Augustinus: tract. in Joh. 12.

guinem et Spiritum Christi“ disertis verbis exhibebant internam baptismi materiam.¹⁾ Sed quod coenae tribuerant, idem nec baptismo denegare summa ope studebant; artis potius quam consilii lapsu omittentes corpus ipsum.²⁾

§. 38.

Explicavimus igitur, quae de corpore et sanguine Christi statuerit utraque nostra ecclesia; nec nos potuit hoc fugere, admitti a Lutheranis corruptionem quandam ipsorum doctrinae perpetuumque ejus nexum discindi. Si enim disputant de sacramentis in genere, actionem ponunt; sin de eucharistia, rem permanentem. Nihilominus eum semper, quo intenderent, propositum fuisse veteribus illis doctoribus finem libenter concedimus, ut quod de singulari hac re, de corpore et sanguine scilicet Christi, docerent, quocunque modo cum universa sua de sacramentis sententia conjungerent. Quare et de hisce eorum studiis pauca erunt addenda; quibus quidem id potissimum effectum est, ut eosdem homines, quos vidimus haud modico gressu ab actione sacramentali procedentes ad rem, retroversum nunc ambulantes conspiciemur a re ad actionem. Id quod manifesto accidisse jam in consecrationis definienda vi atque natura patet ex priore oratione (§. 22). Deinde ex unione per consecrationem declarata sacramentali, hoc consecuti sunt doctores ecclesiastici, ut veram ponerent ac realem rerum coelestium in, sub, cum rebus terrenis manducationem et eam quidem, quae fieret ore corporis, ita ut et infideles ederent non panem, sed corpus Christi. Unde satis apparet, rem quandam ab ipsis requiri salutiferam, neque in actione esse acquiescendum.

1) Ebrard: Dogmatik. II. p. 594.

2) Inest etiam causa in institutione: cfr. Schweizer: Glaubenslehre II. p. 624. 625: Die Einsetzungsworte scheinen ein viel innigeres Verhältniß der Elemente dieses Sacraments zur bezeichneten Sache darzustellen, als bei der Taufe, und veranlassen dadurch eine zusammengefaßtere Vergleichung von Element und Sache. —

At retractant illico; modum quidem, quo percipiatur non solum panis sed et ipsum Christi corpus, sacramentaliter eidem unitum, esse sublimem et qui excedat omnem humanae rationis captum, manducationem igitur non Capernaiticam Joh. 6, 52. id est naturalem aut physicam, sed eam, quae quoniam tota pendeat ex unione illa sacramentali rectissime vocanda sit sacramentalis. Bona certe fide hoc agunt; sed re ipsa instauratus sacramentarismus, num verbis possit ac formulis fugari, ipsorum est demonstrare. Quae quidem verba ac formulae, si accuratius, quid sibi velint, examinantur, omnem statim fugiunt intelligentiae nostrae vim ac notionem. Ore enim aliquid sumi in, cum, sub pane, quod tamen localiter inclusum esse in, cum, sub pane negatur, si tamen locum aliquem ex omnium consensu designant praepositiones illae: hoc animo atque cogitatione assequi reformatae ecclesiae doctores nunquam valuerunt¹⁾. Concordiae quidem formula his potissimum nititur adminiculis: dextram Dei ubique esse neque unicum tantum modum localem sive circumscriptivum, sed plures Deo esse praesto. Verum quod modum aliquem incomprehensibilem vel spirituales affert in coenam, ipsius facit detrimento; quippe quum alio coelesti modo „creaturae longe illi praesentiores et penetratu faciliores“ esse dicat. Ergo sequitur, quoniam in ipso pane negatur disertis verbis localis inclusio, esse praesentius ubique corpus et sanguinem Christi, quam in pane et vino²⁾. *Id quod non erat demonstrandum.*

§. 39.

Simile quid videre licet, ubi argumenta petunt ex naturis Christi; quo quidem ex articulo Schneckenburger totius de cor-

1) Cfr. Bucan. loc. 48, p. 687. Quo vel maxime offenduntur in Lutheranorum doctrina Reformati, id his fere verbis optime comprehendit Schneckenburger: *Vergleichende Darstellung* u. II, p. 274: „Seine illocalle Gegenwart condensirt sich, ohne aufzuhören, illocal zu sein.“

2) cfr. Schenkel: *Untersuchung*, p. 364. Ebrard l. c. p. 670.

pore et sanguine doctrinae intelligentiam statuit esse hauriendam¹⁾. Verum nos pro terminorum, quibus continemur modo levissime hoc transire et tantummodo perstringere animum induximus. Qua quidem in disquisitione confunduntur vulgo res duae diversae ac fere discrepantes inter se. Est enim duplex plane ratio, quo utuntur Lutherani ad efficiendam suam de coena sententiam articulo de persona Christi. Cujus quidem praesentia in eucharistia, ut Lutherum posterioris aetatis theologi recte interpretantur, non tam verbis instituentibus sacramentum nititur, quam necessaria illa divinae naturae cum humana conjunctione, qua fit, ut, ubicunque aut est aut esse potest proprio modo Deus, ibi aut sit aut esse possit humana Christi natura. Quae quidem res, quum alio spectet, hic sit missa facta! Sed aliud quid agitur, cum ad ipsum panem referunt Lutherani personae Christi similitudinem. Quando enim premuntur, dicant, quid intersit inter ipsorum doctrinam et transsubstantiationem, ita sese ex laqueis expediunt: si „in complexu seu integro quodam“ duae sint res, quarum suam quaelibet nomen, suam quaelibet definitionem retineat, tunc non esse factam unius in alteram transsubstantiationem, sed utriusque rei unionem. Cujus quidem rei hoc ponunt exemplum gravissimum: duas Christi naturas, sibi invicem unitas. Aequo enim jure posse dici per propositionem sacramentalem: hic panis est corpus Christi; atque per propositionem personalem: hic homo est Deus. Crederes igitur aliquid certi tandem aliquando invenisse, hoc tantum miratus, cur non impanatio fieret in coena, sicut incarnatio in Christo. At statim excipiunt, hic poni unionem personalem, illic tantum sacramentalem nec posse omnino ab altera de altera quid concludi. Aut igitur fallax fuit ab initio inde tota, quae fiebat, utriusque unionis comparatio ludimurque fraudibus ineptissimis, aut graves non immerito moventur suspiciones, habere nos in pane con-

1) *jur. theol. Critic. p. 134 sqq. al.*

secrato miraculum aliquod, neque minus, neque magis mirandum, quam ipsam filii Dei incarnationem: vetus illud, quod jam novimus (§. 4), mysterium tremendum. Id quod Calvinus¹⁾ ait: retrahi Christum sub corruptibilia elementa, ut eum ubique praesentem opinemur.

§. 40.

Quid multa? supervacaneum enim et infinitum opus aggredi videremur, si manifestissimis enumerandis, quibus laborat orthodoxum Lutheranorum dogma, contradictionibus velle-
mus operam dare. Insidet enim doctrinae indoles quaedam morbida et corrupta, quam si insectari et e latebris in lucem protrahere velis, tergiversatur protinus seque totam abdit in cautelis, adeo usque deverticula flexionesque quaerens, ut hac quidem in parte nobis appareat doctrinae Lutheranae anxiamens, dubia voluntas, infirma conscientia. Id quod praejudicium certe facit non leve pro altera causa, quae longissime abest a tali inconstantia. *Ἀπλοῦν γὰρ τὸ ἀληθές.*

Propterea satis est ostendisse, conflata esse doctrinam illam, quam de corpore et sanguine Christi profitentur Lutherani, e duabus partibus, quarum altera sit ab altera alienissima ac toto coelo diversa. Versari igitur omnem eorum disputandi modum in nodis artificiose inter sese conserendis et completendis, ita ut quod vix evolveris, idem majoribus implicatum difficultatibus mox videas redire impedimentum. Quod quidem negotium Sisyphe cuidam relinquendum, qui operam ei impendat.

§. 41.

Ac nos quidem huic operis parti eum imponamus finem, ut in ipso Luthero sparsa latere ostendamus utriusque illius, quam in universum cogitari posse diximus (§ 6), doctrinae semina. Quare et hodie diversa plane et contraria ex ejus scriptis proferunt Jul. Müller et Kahnis.

1) in 4, 14, 12.

Saepeissime eum testari constat, corpus Christi, quamvis in qualibet sacrae coenae celebratione ab unoquoque conviva integrum sumatur, illaesum tamen et nulli mutationi obnoxium in statu suo glorioso ad dextram patris remanere. Quod si mente et cogitatione aliquid definiti in hac re assequi studemus, id tantum, Jul. Müllero suadente ¹⁾, possumus suspicari, Christi corpus, propria significatione dictum, esse distinguendum ab eo quo in coena vescimur. Hoc vero concesso, quoniam duo Christi corpora negantur, separatim quoddam corpus eucharisticum omnino tolletur; et id quod accipitur in coena, e glorioso Christi corpore arcana et mirabili ratione nascetur veluti radius ex sole, ideoque coena utentibus non tanquam per symbolum, sed per ipsius naturam repraesentabit Christum. Qua quidem ex parte, ut primum extirpaveris illam de singulari corpore eucharistico sententiam inertissimam, totum fere habebis Lutheri dogma vergens ad Calvinum. Utitur enim et ipse Lutherus similitudinibus, quibus illustret praesentiam Christi in coena, luce ab uno sole proficiscente et innumerabilia loca simul pervadente, sole in undis lacus alicujus suam imaginem millies simul depingente, gemma, quae guttam sibi intime insidentem quaque superficiei parte tanquam ibi haerentem ostendat; speculo, quod in mille fragmenta discussum unoquoque eorum eandem reddat imaginem, quam antea reddidit integrum. Quae omnia non ad ipsius substantiae quidem, sed ad effectus cujusdam ab ipsa substantia proficiscentis praesentiam convenire videntur Müllero. Longum est, alios enumerare locos, e quibus effigiem sanae doctrinae Lutheri exstitisse in animo, licet obscuriorem quandam et minus expressam, possit colligi.

§. 42.

Altera a parte stat Kahnis, a Luthero non penitus perspectam esse coenae sacrae naturam aperte quidem confessus,

1) Lutheri et Calvinii sententiae etc. p. 32 sqq.

sed proxime ~~venit~~ ~~accessissen~~ affirmans ad veritatem¹⁾ in uno illo libro, anno 1527 edito contra Suermeros²⁾, in quo carnem Christi in sacramento sumptam perhibet esse cibum aeternum, qui non veluti cibus vulgaris mutetur in carnem edentis, sed edentem mutet in se suique reddat similem donetque Spiritu; quamobrem corpus et sanguinem Christi in sacramento vocat divinum ac spirituale³⁾, facitque id esse in Deo, Deumque in eo; quare et vitam viva hac carne impertiri omnium, qui ea vescantur, et corporibus et animis. Quod quidem argumentum, ex Irenaeo repetitum, postea ita neglexit Lutherus, ut ejus fere prorsus videretur oblitus: omnem coenae fructum referens ad solam peccatorum remissionem eaque fidei salvificae adjumenta, quae ex certa divinae gratiae conscientia ad animum redundant⁴⁾. Neque orthodoxae ecclesiae doctores aperto assentiri audebant doctrinae, quae carnem in corruptionem devenire ideo negaret, quoniam aleretur a corpore Domini. Immo — id quod permagni aestimamus — ne ex hymnis quidem qui vigente Lutheranae ecclesiae gloria atque auctoritate compositi sunt de coena plurimi, praeter paucissimos versus Kahlenis potest quidquam afferre⁵⁾. Eundem plane in sensum, atque nos, nuper disputavit etiam Dorner⁶⁾.

§. 43.

Quod vero Gerhardus⁷⁾ pasci nos asserit vivifico Christi corpore in coena, ut non solum fides, sed etiam spes nostra, quae spectat ad corporis resurrectionem, confirmetur atque augeatur, aliud plane est, neque minime alienum a Calvini sen-

1) Lehre vom Abendmahl. p. 327.

2) Daß diese Worte Christi: Das ist mein Leib, noch feststehen, wider die Schwärmgeister.

3) Gottesfleisch, Geistsfleisch.

4) Schenkel: Wesen I, p. 524—526. Untonsberuf. p. 255, 262, 263.

5) l. c. p. 464.

6) Studien und Kritiken 1856. p. 244.

7) 22, 20, 218.

tentia, qui ex Joh. 6, 54 et hunc ponit sacramenti fructum: afferri non modo indubitatae vitae aeternae animis nostris fiduciam, sed de carnis quoque nostrae immortalitate securos nos reddi, siquidem ab immortali ejus carne jam vivificetur et quodammodo ejus immortalitati communicet¹⁾. Quare et in symbolis Reformati disertis verbis atque uno fere ore idem confessi sunt²⁾. Sed inter hanc Calvini et illam Irenaei recentiorumque Lutheranorum sententias hoc vel maxime intercedit discrimen, quod per spirituale illud novae creaturae alimentum, per carnem scilicet Christi, fide perceptam, Reformati postremo et corporum glorificationem confici credunt, Lutherani vim quandam ipsum corpus tangentem derivare volunt ex sacramentis³⁾. Ac sic tandem intelligendum, cur et oralis postuletur manducatio. Est enim haec corporis glorificatio actus naturalis et physicus, sicut ustio in igne. Unde et hoc sequitur, nos, quamvis coram Deo sola fortassis fide justificados, salvos tamen ac justificationis usuarios fieri sacramentorum potius, quam verbi ope. Illis enim arcana illa nescio quae insita putatur vis, quae beatitudinem per se promovere aut confirmare valeat. Et sic quidem recentiores, quorum nomina enumerare nihil attinet, Lutheranam illam de corpore et sanguine Christi doctrinam sunt amplexi, ut omnino nulla apud eos amplius desideraretur constantia perpetuitasque sententiarum. Rem aliquam permanentem poni in coena, corpus scilicet ac sanguinem Christi, ab ipso Christo diversum neque usquam praeter

1) in. 4, 17, 32.

2) Dörner: l. c. p. 245.

3) Schnöckenburger: Vergleichende Darstellung. II, p. 276: Dem Lutheraner ist die sacramentliche Wirkung ihrer Substanz nach specifisch verschieden von der allgemeinen Gnadenwirkung, weil vermittelt durch die leiblichen Elemente. Er ist dann auch geneigt, unmittelbar aus diesen wirkenden Elementen einen leiblichen Effect abzuleiten, nemlich die Verklärung des gesammten leiblichen Organismus auf die Auferstehung hin: ein Effect, den der Reformirte gleichfalls kennt, aber ihn durch die geistige Glaubenswirkung vermittelt werden läßt.

coenam percipiendum aperte non modo contentur, sed et causam addunt, cur hoc ita a Christo institutum fuerit; quae quoniam olim jam ab Hildeberto Turonensi sine ulla haesitatione est explanata, hujus potius verbis hic annotandam censuimus: „sciendum — inquit ¹⁾ — quod tota natura humana in anima et corpore erat corrupta. Oportuit ergo ut Dominus, qui veniebat utramque liberare, uniretur utrique, ut *anima per animam, corpus per corpus* liberaretur.“ Duae igitur sunt salutis viae, duo gratiae ipsius genera; atque homini per verbum spiritualis adhibenda medicina, per sacramenta corporalis. Atque ita quidem nostra hac aetate omnia evenerunt in sermonis confirmationem, cujus auctor est Bellarminus ²⁾: „Lutherani quibuscunque verbis Catholicorum utuntur, non possunt ullo modo sentire, quod nos sentimus, sacramenta esse veras et immediatas causas justificationis, *nisi recedant a primo illo suo principio: sola fides justificat*; quod *hactenus* non fecerunt.“ Atque haec quidem *de suo tempore* Bellarminus.

§. 44.

Vides igitur, ex ipsius Lutheranae doctrinae quasi gremio exortam aliquam corruptelam, per longi temporis spatium sine aperto detrimento ecclesiasticae doctrinae progressam, nunc tandem exitium ac perniciem subito parantem universae illi sententiae, quam secuti Augustinus, Calvinus, Melancthon, sagacissimi quique ac piissimi doctores, neque repugnantibus ipsis Luthero, Chemnitio, Gerhardo, in actione posuerunt omnem sacramentorum vim ac naturam. Exiguo enim fermento fermentatur tota massa I Cor. 5, 6.

Si quaeras, quibus propinquitatis et familiaritatis vinculis illi, quos nostra aetas tulit, Lutherani cum veteri orthodoxa ecclesia sint conjuncti, hoc certe erit concedendum, quod ab orthodoxis doctoribus de corpore et sanguine Christi ita sit ex-

1) sermo 38. cfr. Ebrard: *Abendmahl* I. p. 481. 482.

2) de sacram. 2, 2, 12.

plicatum, ut videantur suspensi quasi inter diversissimas sententias ac pressi utrimque, idem ab illis *Ἐπιγόνους* in sensus unitatem praeclare redigi, ita ut integram prorsus habeas sacramentarismi concordiam. Nihilominus reniti illos veteres ac toto animo discrepare ab omnibus consecratis, tale quid sonantibus, sole meridiano est clarius. Quibus quod fuerit ab initio inde quum de sacramentis, tum de coena persuasum, his fere continetur Chemnitii verbis: „in usu sacramentorum fides non quaerit aut respicit essentialem aliquam virtutem seu efficaciam inhaerentem ipsis externis sacramentorum elementis, sed in promissione, quae annexa est sacramento, quaerit, apprehendit et accipit gratiam Patris, meritum Filii et efficaciam Spiritus sancti“¹⁾. „Non autem alia est gratia, quae in verbo promissionis, et alia, quae in sacramentis exhibetur; nec alia est promissio in verbo evangelii, alia in sacramentis. Sed eadem est gratia, unum et idem verbum, nisi quod in sacramentis, per signa divinitus instituta verbum quasi visibile redditur, sicut Augustinus loquitur, propter nostram infirmitatem.“ „Verbum enim promissionis est objectum illud, quod fides in sacramentis intueſſur“²⁾. Quodsi veri nihilominus corporis Christi in coena statuebatur vera praesentia, hoc tantum consilio id a Chemnitio, Gerhardo, aliis sinceris et genuinis ecclesiae Lutheranae testibus potuit fieri, ut tribueretur institutioni, quod deberi videbatur verbis tam graviter et acute sonantibus. Quibus officii partibus expletis, nihil diligentius agunt, quam ut propulsetur ac prohibeatur omnis sacramentarismi species; nullam omnino habentes manifestissimarum, quotquot ita obortae

1) examen l. c. p. 215.

2) ib. p. 212. Quibus cum Chemnitii verbis conferas quaeso, ut habeas discrepantiam, qua major nulla potest exsistere, quod dicit Vilmar: *Theologie der Thatſachen* p. 64: — — daß das Wort durch den Geist von oben auf den Menschen wirkt. Das Sacrament dagegen ist eine lebliche That Gottes an dem Menschen. Dasselbe wirkt von unten durch die Leblichkeit auf die ganze Persönlichkeit des Menschen nach Leib und Geist zur Erlösung des ganzen Menschen an Geist und Leib.

sunt, contradictionum libet procurationem. Quem igitur errorem prioris illius ecclesiae patroni diligentissime a se averterunt, eundem ut toti doctrinae consentaneum revocant recentiores, simulantes, quod bonos illos patres fugerit propter temporis angustias, idem nunc ab ipsis per ingenii acumen occultissima quaeque perspicientis enucleatum ac planissime explicatum esse. Afferuntur igitur ab ipsis ad comparationem diversissima quaeque; congeritur undique exemplorum copia; longinqua petuntur ex libris physicorum et medicorum argumenta, quae veterum illorum theologorum animos ne somniantium quidem subibant. Decurritur ad singularem subtilissimae cujusdam aëris speciei efficaciam¹⁾, ad aquam vi magnetica ita imbutam, ut in cerebro spiritum afficiat²⁾, alia id genus. Qui quidem artifices hoc tantum jure sibi vindicare possunt Lutheri nomen et auspicia, quo et Lutherum a Luthero defendentes, plurimis ejus scriptis nunc adscribunt, ut Parisienses olim soliti sententiariorum Lombardi: „hic magister non tenetur.“

Pars tertia.

§. 45.

Quum neque a Luthero, neque ab alio quovis ex sacrorum instauratorum numero ita sit de corpore et sanguine Domini disputatum, ut omissis omnium, qui antea in hoc doctrinae genere versati fuerunt, studiis, ex integro tractaretur universa res ac novum aliquod dicendi genus introduceretur: etiam hoc vel maxime pertinebit ad dilucidandam hanc controversiam, priorem illam perscrutari de coena sententiam, quam et postea sub anathematis fulmine credendam proposuit Tridentina synodus. Id quod non solum casu facimus et oblata quadam facultate,

1) cfr. Ebrard: *Theologisches Sendschreiben an Dr. Sartorius* p. 21.

2) Kahnis I. c. p. 468,

sed totius operis, quod de corpore et sanguine Christi institui-
mus, ratione et consilio.

Quod trepide tantum nec sine plurimis cautelis itaque sem-
per vidimus propositum a prioris aetatis Lutheranis, ut ipsorum
continno repugnaret voluntas ac sensus: idem aperte prae se
fert ecclesia Romana; inter quam et nostrates homines hoc
maxime interesse praeclare monuit Marheineke¹⁾, quod illa
diceret „*contineri gratiam sacramentis*“²⁾, nos *conferri*.

Id quod summatim generatimque dictum vix eget argu-
mentatione. Omisso enim plane verbo Dei, quod nos facimus
primarium salutis medium³⁾, inhaerere dicitur sacramentorum
elementis supernaturalis quaedam ac spiritualis vis, per quam
influant et agant in animam: est enim sacramentum „*res sensi-*
bilis subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae
tum significandae, tum efficiendae vim habet“⁴⁾; causa igitur
justificationis non tam instrumentalis, quam efficiens.

§. 46.

Quae quum ita sint, hoc tantum requirebatur a celebrante,
ut „mentem intenderet“, a suscipiente, ne „obicem poneret“. Quam
quidem utramque conditionem quum funditus everterent
Reformatores, eo sane ducebantur consilio, ut actionem effice-
rent totam eucharistiam. Quoniam enim *agit* Christus, „sacra-
menta et verbum propter ordinationem et mandatum Christi
sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur“⁵⁾. Quamvis igi-
tur ministri moribus neque addi neque detrahi quidquam sa-
cramentis constet inter nostrates ac Pontificios, illis tamen hoc
amplius persuasum, ad integritatem et fructum sacramenti ne
intentionem quidem mentis requiri absoluta quadam necessi-

1) Symbolik I, System des Katholicismus. III, p. 120.

2) Trid. sess. 7. can. 6.

3) cfr. Dieckhoff: l. c. p. 76.

4) Cat. Rom. 2, 10.

5) Conf. Aug. 8.

tate¹⁾. Porro quoniam *agunt* et suscipientes in coena Dominum per fidem, excidunt qui, neglecta fide hoc tantum cavent, ne ponatur obex: damnantur igitur, „qui docent, quod sacramenta *ex opere operato* justificent“²⁾.

At miretur forte quispiam, quod eo consilio, ut in actione poneretur sacramentum, sublatum esse perhibuimus totum illud opus operatum. Quid enim magis esse actum dixeris, quam hoc? Ac Möhler³⁾ nonne recte praevaricari ostendit nostrates homines, qui quod ipsi admiserint, in aliis audeant vituperare? Etiam si accedunt fallaces Bellarmini disputationes, quibus ita saepe disserit, quasi per opus operatum tantummodo exclusum intelligatur meritum agentis vel suscipientis, affirmetur tamen gratia, vi actionis sacramentalis collata: nonne magis quoque revocamur in dubium? Verumtamen si a notis Bellarmini artificiiis ad scholasticos doctrinae autores respicimus, excluditur ab efficientia gratiae sacramentalis non solum ministri dignitas, sed etiam in suscipiente omnis „bonus motus interior“⁴⁾. Itaque solum dicebantur justificare sacramenta merito operis operati, quod exerceret et hic, qui celebrat, et ille, qui suscipit.

§. 47.

Est igitur hoc vel maxime mirandum, quod sublata vix actione ex sacramento eucharistiae, aliunde statim reverti eam vides, sed deformatum jam operis operati prae se ferentem habitum: simulacrum quasi actionis in pejus fictum. Esse igitur panem, super quem pronuntiata sunt a sacerdote consecrationis verba, Christi corpus disputat Bellarminus⁵⁾, si vel maxime *non distribuatur, sed asservetur*, reponatur, includatur, circumgestetur et quacunque ratione tractetur. Habes jam pro actione opus operatum. Adduntur tamen quasi actus sacramentales

1) Gerh. 19, 4, 31.

2) Conf. Aug. 13.

3) Symbolik. ed. 3. 1834. p. 261.

4) Ebrard: Abendmahl. I, p. 490. 491.

5) De euch. 4, 2.

panis consecrati repositio, circumgestatio, adoratio; immo totius sacramenti natura mutatur in illam oblationem, quam vocant missaticam, in qua ea omnia *aguntur*, quae sunt *actioni* sacramentali maxime contraria. Nam „quantum interest inter dare et accipere, tantum a sacramento coenae sacrificium differt; atque haec quidem miserrima hominis ingratitude est, quod ubi agnoscenda erat divinae bonitatis largitas, in eo sibi Deum debitorem facit“ 1).

§. 48.

Atque haec quidem de actione et de opere operato nobis erant praemittenda. Quoniam vero de sacrificio missatico instituiamus sermonem, accedamus jam ad rem quandam, quae afferet summum ad disceptandam nostram quaestionem momentum. Sunt enim, qui dependere prorsus ex sacrificio missatico totum illud monstrosum transsubstantiationis dogma verissime augurati sint²⁾. Atque esse quidem eandem missae et transsubstantiationis radicem, ideo sane conjicere possis, quia amplificandae ordinis sacerdotalis dignitati haud parum utraque doctrina est usui: sacerdos enim sine sacrificio omnino non est; tali autem sacerdoti quis denegabit cultum ac reverentiam, qui ipsum creatorem pro libito possit quotidie creare? Sed arctiore quodam conjunguntur propinquitatis vinculo missa et transsubstantiatio. Primaevae enim inde ab ecclesiae tempore, ubi oblationes illae, a convivis coenae apportatae, occasionem paulatim praebebant sacrificialibus erroribus, inclinare coeperunt hominum animi in aliquam elementorum transmutationem. Mox Justinum secuti, Cyrillum Hierosolymitanum, alios³⁾, μεταβολήν sive transfigurationem amplexi elementorum in corpus et sanguinem Christi, pane illo consecrato usi sunt tanquam incruento pro peccatis sacrificio. Deinde quo magis invalere ritus

1) Calvin. in: 4, 18, 7.

2) cfr. Ebrard: *Abendmahl*. I, p. 468.

3) cfr. Rückert: *Abendmahl*. p. 408 sqq. 449.

missatici, ~~eo propius accessere~~ vocabula vulgaria ad transsubstantiationis dogma; ita ut eodem plane tempore consuescerent homines talibus vocibus, qualia sunt oblationis, sacrificii, immolationis, altaris, victimae, missae, sacerdotii, quo et post invocationem transmutata elementa revererentur. Quod vero Paschasius Radbertus conversionem illam panis in corpus primus astruxit redegitque in systematis formam: praelusisse eum Fr. Spanhemius ¹⁾ doctrinae deinceps sancitae a Latinis non solum de transsubstantiatione, sed simul quoque de sacrificio missatico rectissime cognoverat ²⁾. Postremo decretum obortum sub Innocentio tale: esse et sacerdotem et sacrificium eundem Jesum Christum, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continerentur, transsubstantiatis pane in corpus, in sanguinem vino ³⁾. Est igitur hoc certe in aperto: quod transmutantur elementa in corpus et sanguinem Christi, non eo fieri consilio, *quo certius nos eis fruamur in sacramento*, sed solum spectari *Deum*, cui dignissimum offeratur *a nobis sacrificium*. Alium enim ad finem tam operoso transsubstantiationis adminiculo opus non fuisse, testantur non modò ii doctores scholastici, a quibus praesentiam Christi in coena statui, nullo fere transsubstantiationis habito respectu, Dieckhoff ⁴⁾ evicit, sed multo etiam magis Duns Scotus ⁵⁾, Durandus ⁶⁾, Occamus ⁷⁾, Petrus de Alliaco ⁸⁾, Gabrielus Biel ⁹⁾: veritatem eucharistiae sine transsubstantiatione posse servari arbitrati.

1) hist. sacr. saec. 9, cp. 10, §. 3 sqq.

2) cfr. Ebrard l. c. p. 471. 472.

3) Lateran IV, cap. 1. Mansi 22, p. 982.

4) l. c. p. 104, p. 146, 147.

5) lib. 4, dist. 11, qu. 3, lit. B.

6) sent. lib. 4, dist. 11, qu. 1, art. 14.

7) sent. lib. 4, dist. 11, qu. 6. centil. theol. lib. 4, qu. 6.

8) sent. lib. 4, dist. 11, qu. 6, art. 1.

9) in can. miss. lect. 40.

www.libtool.com.cn §. 49.

Est igitur hoc, quod assequi studemus: abire Romanam ecclesiam, si in universum quidem loquamur, in sacramentari-smi partem; sin penitus examinemus, fluctuationem quandam animadverti anjmorum, quippe qui inter sententias contrarias ac sibi invicem oppugnantes fuerint suspensi. Quam igitur pu-gnam quasi ancipitem jam sumus intuiti, Lutheranorum quum perlustraremus castra, ita tamen, ut obtineret sententia, ab Au-gustino profecta: eandem nunc decertari videre licebit ab ipsis Pontificiis, praevalente tamen sacramentarismo.

Neque hoc magni facimus, quod inter ipsos doctores scho-lasticos fuere, qui „virtutem sacramentalem“ statuerent proxime proficisci a Deo; contra qui inhaerere eam dicerent externis illis signis ¹⁾: sed hoc tantum graviter monemus, neque ipsis a Tridentini concilii patribus solutum esse illud discidium; quippe qui certam sacramentorum definitionem non assecuti, diras tan-tum devotiones per totam illam sessionem septimam cumularint in adversarios. Deinde si ad tertiam decimam ac vicesimam secundam animum advertimus, placuisse tandem videmus Aeo-pagitis illis diversissima quaeque inter sese consociantibus: *sa-crificii* quidem hostiam verum esse ac naturale Christi corpus, praesens sub specie panis; *sacramenti* tamen fructum spiritua-lem tantum aliquem animarum cibum. Id quod mox uberius explicaturi, hic addendum censemus, *διχοτομίαν* illam corporis et sanguinis, e qua orta inter Lutherum et Melanchthonem dis-sensio (§. 16), a patribus Tridentinis sine ulla cunctatione ad totius Christi unitatem revocari. Confitentur enim, „post panis et vini consecrationem *Jesum Christum*, verum Deum atque ho-minem vere, realiter et substantialiter sub specie illarum rerum sensibilibium *contineri*“ ²⁾; „totum atque integrum Christum“ ³⁾,

1) Dieckhoff l. c. p. 82. 83.

2) sess. 13, cp. 1.

3) sess. 21, cp. 3.

„omnium gratiarum fontem et autorem“¹⁾, „una cum anima ac divinitate“²⁾; nihil statuentes sinistri illius, quem alibi cognovimus (§. 34), diremtus.

§. 50.

Valde igitur inclinari Romana ecclesia dicenda erit ac delabi in sacramentarismum, sed, si modum non vivendi, sed scribendi, ut ita dicam, spectemus, ancipiti sese dare ac dubiae fidei. Erat enim contraria illa Augustini, validissimi ecclesiae patroni, sententia neque in medii, quod dicitur, aevi ecclesia unquam³⁾, neque apud patres Tridentinos omnino destituta sua vi atque auctoritate. Cujus quidem inde a temporibus per undecim amplius saecula quam dubio et incerto proelio sibi invicem oppugnaverint homines, qui acriter intendere ad hasce res animum, perspicue ipso in Bellarmino potest cerni. Qui quum, ut ubique fere, ita et in hoc, de quo nunc nobis res est, capite, emolliat ecclesiae suae placita, hunc semper fingit certaminis statum, ac si minus de modo fiat contentio, quo sacramenta efficiant salutem, scilicet utrum vi quadam interna ac morali, an, id quod ipsi videtur tutius, e causis quibusdam physicis⁴⁾: sed hoc tantum in controversia esse dicit, sintne sacramenta verae et propriae justificationis causae, licet instrumentales, necne. Immo⁵⁾ sibi ipsi contradicens et Romanae ecclesiae evertens fere fundamenta, virtutem divinam sacramentis insitam negat esse novam aliquam qualitatem, di-

1) sess. 24, can. 3.

2) sess. 13, cp. 8.

3) Rückert, ut hoc modo afferam, nuper in opusculo (Hilgenfeld: *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie* I, 1: „Der Abendmahlsstreit des Mittelalters“) exposuit, in sancti Benedicti ordine symbola credita fuisse in coena etiam Caroli Magni temporibus. Alia nonnulla in eandem rem affert Dieckhoff l. c. p. 79. Neque ipsa illa Nicolai II. pontificis formula, cui subscripsit Berengarius (§. 18), prorsus potuit apud scholasticos theologos obtinere. Cfr. Dieckhoff p. 71 sqq.

4) de sacr. 2, 11, 23.

5) Habes pro multis unum tantum locum de sacr. 2, 11, 24.

vinitus eis inhaerentem, sed solum Dei motum. Cujus disputationes, quam longe absint, quin alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur, facile colligitur, si ab eodem legimus baptismi quidem naturam proprie non in substantia aliqua, sed in actione collocari, eucharistiam vero haberi non actionem transeuntem, sed rem permanentem ¹⁾).

§. 51.

Quae quum ita sint, praeter omnem expectationem non potuit accidere, quod obiter tantum ante hos decem annos Schneckenburger Zwinglii de coena sacra sententiam propinqua quadam cognatione voluit habere conjunctam cum decretis Tridentinis ²⁾. Postquam enim e dogmate Romano tamdiu tantum demonstravit „Deum in pyxide“ esse praesentem, quamdiu manserit externa pyxididis, id est panis species, ipsum Christi corpus ne manducari quidem in coena Pontificia rectissime colligit. Videntur quidem aliud quid sonare nonnullae Tridentinae voces ³⁾; sed duobus hisce potissimum nititur synodi effatis Schneckenburger, quorum uno beneficium coenae refertur ad „repra-

1) de poen. 1, 11, 13.

2) Theologische Jahrbücher. 1848. p. 82—84: Was von Gemeinschaft mit Christus im allgemeinen Gnadenstande schon besteht, das wird etwa nicht durch den Genuß (denn dieser gehört nicht wesentlich zur Sache, nur zur Vollständigkeit der Symbolisirung), sondern durch das Opfer und die vermöge des Opfers ausgewirkten, übernatürlich gekräftigten und durch die Symbolik des Actes und die Schauer des Wandlungsmysteriums angeregten Tugendgefühle und Vorsätze blos erhöht. Lassen wir das Opfer fallen mit der ihm dienenden Magie der Wandlung, so bleiben die allgemeinen Umrisse der Zwinglischen Abendmahlslehre übrig. Das Opfer ersetzt die Dankagung, in welcher vorzugswelse der Abendmahlsgegnuß besteht; die Gemeinschaft mit Christus wird als im den Gnadenstand bedingenden Glauben vorhanden vorausgesetzt; der Genuß des Leibes und Blutes Christi ist ein symbolisch moralischer; die Elemente sind nicht minder blos Zeichen, als für den katholischen Communicanten, der nur Brod, nicht aber den Leib Christi sich wirklich assimilirt.

3) cfr. sess. 13, can. 8. sess. 21, cp. 8.

~~sentendam mortis Christi victoriam~~ et triumphum¹⁾; altero vero optavit „sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quod ad eos sanctissimi *hujus sacrificii fructus uberius proveniret*“²⁾.

Id quod nunc ex aliis Tridentini concilii placitis confirmandum esse censemus.

§. 52.

Neque hoc quidem ad stabiliendam nostram sententiam videtur omittendum, quod, adempta hostiae transsubstantione, nullum esse eucharistiae prae reliquis sacramentis privilegium aperte contententur patres. „Commune hoc quidem est sanctissimae eucharistiae cum ceteris sacramentis: *symbolum* esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem. Verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in eucharistia ipse sanctitatis autor *ante usum* est;“³⁾ atque ita quidem, ut vidimus, ante usum, ut ipso in usu adesse jam desinat. Cernitur igitur universi hujus sacramenti summa non in usu, sed in sacrificio et adoratione hostiae; ergo devota mox eorum capita, qui „in sancto eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriae etiam externo *adorandum* atque adeo nec festiva peculiari celebritate venerandum“⁴⁾ credunt. Sed maxime omnium memorabile hoc decretum: ⁵⁾ „Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga ho-

1) sess. 13, op. 5.

2) sess. 22, cap. 6. Quem ad locum conferas, quod interpretatur Schneckenburger l. c. p. 82: Also der Act des Genusses selbst kann nur die (subjective) Frucht des (objectiven) Opfers reicher machen. Die eigentliche Wirkung auf das Subject ist die des Opfers.

3) sess. 13. op. 3. cfr. op. 8.

4) sess. 13. op. 5. cfr. can. 6.

5) sess. 13. op. 2.

mines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilem suorum, et in illius sumptione *colere nos sui memoriam* praecepit suamque annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit hoc sacramentum tanquam *spiritualem animarum cibum*, quod alantur et confortentur *viventes vita* illius, qui dixit: qui manducat me, et ipse vivet propter me, et tanquam antidotum, quo liberemur a *culpis* quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. *Pignus* praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis adeoque *symbolum* unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei et caritatis connexione astrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus neque essent in nobis schismata.“ Quo quidem ex synodi placito si id potissimum exceperis, quod nos a quotidianis culpis, id est a venialibus tantum liberari, a mortalibus non liberari dicimur, sed praeservari (fluxit autem hoc non ex patrum de coena persuasionem, sed prosus aliunde): quid non conveniat in Zwinglii de eucharistia doctrinam, nihil fere habebis. Hic enim quum ita conaretur veterem purgare de sacramentis opinionem, ut funditus evelleret *sacrificium* illud missaticum cum universo ejus apparatu,¹⁾ substitit postea his potissimum in Romanae doctrinae partibus, quae, absoluta antea oblatione, sola versarentur in explicanda ipsa *eucharistia*; unde etiam ortus est mirus ille Zwinglii et concilii consensus. Sin tandem ab Oecolompadio et aliis in hoc ponitur omnis fere sacramentorum natura et vis, ut sint tesseræ sociales, ovium quasi, quae Christum sequuntur pastorem, notae,²⁾ habes et in Tridentina illa confessione idem fere „unius corporis symbolum.“ Ac si in universum spectamus Romanae ecclesiae indolem et doctrinam, quid quaeso sacramentis tribuitur majus

1) Cfr. Ebrard: *Abenmaßl.* II. p. 97. 98. Sigwart: *Ulrich Zwingli.* p. 202 sqq. Dieckhoff I. c. p. 432 sqq.

2) Schenkel: *Briefe des Protestantismus.* I. p. 418.

vel gravius, nisi ut imprimant universo fidelium gregi notationem quandam propriam ac prorsus singularem? ¹⁾

§. 53.

Contra Lutherus is non erat, qui satim abjiceret omnem missae atque transsubstantiationis memoriam; ²⁾ incepit igitur anno 1518 litigare non de ipsa re sacramentali, sed de vero tantum eucharistiae usu; ³⁾ pergit in „sermone de Novo Testamento, id est de Missa,“ anno 1520 edito, dividere ac determinare diligenter, quae viderentur vera in missa, a falsis fictisque appendicibus; ⁴⁾ pedem a doctrina ecclesiastica nunquam discedens, nisi quod, sublato e medio sacrificio, praeferabat transsubstantiationi coëxistentiam illam, quam primus invenerat Cardinalis Cameracensis. ⁵⁾ Neque iis ipsis temporibus, ubi maxime indulgebat internis ingenii motibus, unquam devertit a firmissima illa persuasione, qua naturale quoddam in coena manducari corpus ab initio inde vitae ad extremum usque spiritum asseveraret. Id quod, quoniam multum abest, quin omnibus probatum sit, ⁶⁾ breviter illustrandum ducimus, ita tamen,

1) Hundeshagen: Protestantische Monatsblätter I. p. 341 sqq.

2) Nitzsch: Deutsche Zeitschrift für christliche Wissenschaft 1857. p. 201: Der erste und lang nachwirkende Ausgangspunkt für Luther war die Verwandlungsehre, auch dann noch, als er schon sie einigermaßen kritisierte, und dann noch mehr, als er, durch die abenteuerliche Auslegung Carlstadt's an der schwelgerischen Auffassung ganz irre wurde.

3) Dieckhoff l. c. p. 172. 173.

4) ib. p. 209. Quam multum valuerint postea quoque apud Lutherum opiniones, ad missam pertinentes, cfr. ib. p. 226. 401. al.

5) ib. p. 149. 150. 250. cfr. Ebrard: Lebensmahl: II. p. 114: Die Lehre vom Messopfer hatte darauf geführt, die Transsubstantiation zu lehren, und erst in Folge hiervon war aus der centralen geistlichen Vereinigung mit Christo ein mündliches Essen geworden. Diese beiden Stücke bezieht Luther bei, obwohl sie, sobald man allein das Moment der Vereinigung mit Christo feststellt und das der Beziehung auf Christum wiederholtes Opfer fallen ließ, eigentlich ihren Sinn verloren.

6) Qui enim hodie conciliandae inter utramque ecclesiam paci pro-

ut paucis tantum perstringamus, quae gesta usque ad annum 1525 Dieckhoff uberrime ac diligentissime nuper explanavit. Ac vertitur quidem omnis fere, quae est de hac re controversia in dubia atque ancipiti voce signi, quam ita usurpari a posterioris aetatis theologis vidimus (§. 10), ut totum abiret sacramentum in ritum atque actionem. At contrariam plane in partem disputaverant scholastici theologi, signum esse rem sensibilem „*efficaciter* significantem effectum gratuitum.“¹⁾ Itaque Lutherus quum scholasticos secutus corpus et sanguinem Christi perhiberet esse „signum“ vel pignus sacramenti, ipsam vero „rem sacramenti“ poneret in remissione peccatorum,²⁾ ab initio inde aliud quid sensisse rectissime dicitur, atque Zwinglius, Calvinus, ceterique Reformatae ecclesiae antistites, quamvis sit persaepe in verbis concordia. Facile enim decipimur, cum et a Luthero in libro de captivitate Babylonica aliisque in scriptis, et a Calvino³⁾ sacramentis adnumerari legimus Gideonis in vellere rorem, Achasi in horologio recedentem umbram, alia id genus signa, fidem confirmantia; quibuscum signis Calvinus quidem confert in eucharistia externa *panis et vini* ele-

bissime dant operam, ita solent disputare, quasi ipse Lutherus haud procul abfuisset ab ea sententia, quam postea amplexus sit Calvinus.

1) Dieckhoff l. c. p. 78. 94. 95.

2) l. c. p. 198. 199: So fällt für ihn der Leib und das Blut Christi im Sacrament unter den Gesichtspunkt des signum, und es liegt im scholastischen Ursprunge die Erklärung jener Auffassung vor, die von so großer Bedeutung für die Abendmahlslehre Luthers geworden ist, — die Auffassung, wonach Christi Leib und Blut unter Brod und Wein als das Belichen im Sacrament, als das sacramentum im engeren Sinne, unterschieden wird von der Sache des Sacraments, auf deren Mittheilung es eigentlich ankommt und auf die unser Glaube vor Allem gerichtet sein muß, wenn er das Sacrament recht gebrauchen will, dazu wozu es eingesetzt ist. Diese für die lutherische Abendmahlslehre so wichtig gewordene Auffassung erweist sich somit als ein Rest der Scholastik, nicht als etwas auf dem neuen Boden der evangelischen Lehre Entspringenes. Cfr. etiam p. 204. 211. 216.

3) in. 4, 14, 18.

menta, Lutherus autem ipsum Christi corpus et sanguinem: ¹⁾ id quod inter utrumque intercedit discrimen gravissimum.

§. 54.

Quae quum ita sint, concedimus quidem, inter annos 1518 et 1521 ita saepe a Luthero de sacramento disputatum fuisse, ut nullius fere viderentur esse pretii haec corporis et sanguinis Christi signa; ²⁾ quae tamen et tum temporis tanti quidem faciebat, ut Pighardos, nisi verum adesse sub pane Christi corpus affirmassent, in ecclesia tolerandos esse negaret. ³⁾ Quod vero remissionem peccatorum facit rem sacramenti, didicerat et hoc ex missa. ⁴⁾ Est enim ex Pontificiorum placitis sacrificium missae, quo remittuntur peccata, quia scilicet applicat pretium redemptionis. ⁵⁾ Habes Lutherum, in eundem plane sensum disputantem: *acquisivisse* Christum redemptionem in cruce; *dispen-*

1) Cfr. Sermon von dem neuen Testament. Erlanger Ausgabe 27, 148: „Wetter hat Gott in allen seinen Zusagen gemeiniglich neben dem Wort auch ein Zeichen gegeben zu mehrer Sicherung oder Stärk unsers Glaubens. Also gab er Noä zum Zeichen den Regenbogen, Abraham gab er die Beschneidung zum Zeichen, Oseon gab er den Regen auf das Land und Lammfell, und nun fortan findet man viel derselben Zeichen in der Schrift neben den Zusagen gegeben. Dann also thut man auch in weltlichen Testamenten, daß nicht allein die Worte schriftlich verfaßt, sondern auch Siegel oder Notarien, Zeichen daran gehängt worden, daß es je beständig und glaubwürdig sei. Also hat auch Christus in diesem Testament gethan und ein kräftiges, allerebests Sigill und Zeichen an und in die Worte gehängt, das ist sein eigen wahrhaftig Fleisch und Blut unter Brod und Wein.“ Sequitur locus, supra (§. 9) jam laudatus. Quoniam Dieckhoff l. c. p. 204 omisit, hoc tantum addamus: disertis verbis distingui a Luthero inter nudum signum et signum, quod vocat, quia est quasi expletum corpore et sanguine Christi, *perfectum*; quare Christus dicitur dedisse non nudum, sed *perfectum signum* (Erlang. Ausg. 27, 40).

2) Dieckhoff p. 206.

3) „es sei wahrhaftig Brod und Wein natürlich da, doch darunter wahrhaftig Fleisch und Blut Christi.“ „Wo sie aber anders glaubten, wollt ich sie lieber draußen wissen.“ An den christlichen Adel (Erl. 21, 343).

4) id quod et Dieckhoff concedit p. 191.

5) cfr. Bellarmin de missa 1, 25, 28,

~~sare non in cruce, sed in~~ sacramento altaris.¹⁾ Vides igitur, a Luthero et id, quod *sacrificii* missatici dicebatur finis fructusque, relatum esse ad *coenam*, indeque novas exortas, quas supra explicavimus (§. 29), circa hunc locum doctrinae difficultates. Quum enim corpus et sanguinem Christi, quorum e manducatione omne tamen pendet donum sacramentale, non ipsum fructum, sed solam oppignerationem remissionis adhibere cogere-tur,²⁾ non solum a Reformatis, sed a Pontificiis quoque haud immerito premitur.³⁾ Conferas quaeso, quae permulta conscripsit in hanc rem Bellarminus,⁴⁾ demonstraturus, non posse in remissione peccatorum primum populi sacramenti fructum. Quam enim remissionem *sacrificium* missae confert praecipuum et singulare donum, eandem efficit *sacramentum* eucharistiae non per se, sed „per concomitantiam“ tantum.⁵⁾ Quare quum

1) Wider die himmlischen Propheten: Erlang. 29, 285 sqq. cfr. Dieckhoff p. 380.

2) Sermon von dem neuen Testament: Erlang. 27, 147: „Was ist denn nun dies Testament, oder was wird uns darin beschieden von Christo? fürwahr ein großer, ewiger, unaussprechlicher Schatz, nemlich Vergebung aller Sünd, wie die Worte klar lauten: dies ist der Kelch eines neuen, ewigen Testaments in meinem Blut, das für euch und für viele vergossen wird zur Vergebung der Sünd, als sollt er sagen: Steh da Mensch, ich sage dir zu und beschelde dir mit diesen Worten Vergebung aller deiner Sünd und das ewig Leben; und daß du gewiß stehest und wissest, daß solches Gelübde dir unwiderrüßlich bleibe, so will ich darauf sterben und meinen Leib und Blut dafür geben, und beides dir zum Zeichen und Siegel hinter mir lassen, dabel du mein gedenken sollst.“

3) Frustra Lutheri vindices ac defensores elaborant, ut praeter remissionem peccatorum etiam insitionem illam in Christo, ab orthodoxis doctoribus posthac excogitatam (§. 29), evincant fructum sacramenti, ab ipso Luthero jam prius comprobatum. Afert Dieckhoff (l. c. p. 228. 229) locum quendam obscuriorem, ubi praeter remissionem Lutherus admittere non gravatur alios quoque fructus, quos vocat „kleine Troystfüßlein.“ Gerlach in selectorum Lutheri operum editione libris ejus, quos scripsit contra Carolstadium, Zwinglium, alios, hoc praemittendum censuit (8. p. 48): *potuisse* Lutherum de corpore et sanguine Christi plus ac melius docere, modo *voluisset*.

4) de euch. 4, 18.

5) cfr. Strauss l. c. p. 578.

Tridentina synodus anathematis fulmine eos ferit, qui sanctissimae eucharistiae praecipuum fructum statuunt versari in remissione peccatorum,¹⁾ reprimere studet indigestam illam permutationem, qua sacrificium cum sacramento confundi arbitrantur a Luthero. Quamobrem sedulo exponit Bellarminus, quatenus possint in *eucharistia* de remissione peccatorum fieri verba; vocat enim signum voluntatis testatoris eucharistiam, ideoque appellari testamentum. Jam vero crederes audire Zwinglium, cum hia fere verbis pergit Bellarminus:²⁾ „eucharistia, quia est signum et *repraesentatio mortis Christi*, est etiam signum voluntatis testatoris et omnium bonorum nobis promissorum atque adeo etiam remissionis peccatorum. Neque ullus nostrum negat in eucharistia contineri remissionem peccatorum, *quatenus per eam repraesentatur effusio sanguinis Domini*, per quam omnia peccata remittuntur. Nam illa verba, quae dicuntur in institutione: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, *non significant bibi sanguinem in remissionem peccatorum*, sed effusum fuisse in remissionem peccatorum, et *hoc per eucharistiam repraesentanti*.“ Quid multa? habent enim Reformati theologi sententiarum auctores et patronos scholasticos doctores in eo, quod spirituales animae cibum faciunt eucharistiam,³⁾ deinde quod manducare Christi corpus nihil aliud esse affirmant, quam credere et credendo adhaerere Christo;⁴⁾ porro disputantes manducationem hanc fieri posse tum in sacramento, tum extra sacramentum;⁵⁾ denique receptum esse in coelo, tanquam in certo quodam loco ipsum Christi corpus.⁶⁾ Quae omnia si volumus complecti una quasi comprehensione, hoc fere sumus consecuti: niti Reforma-

1) sess. 13. can. 5.

2) l. c. 4, 19, 8.

3) Dieckhoff l. c. p. 94: Die Speise des Abendmahls ist nach der Eucharistie eine die Seele speisende.

4) ib. p. 482.

5) ib. p. 99.

6) ib. p. 139.

tam doctrinam potissimum artis scholasticae partibus, quae ab Augustino profectae solum spectabant in coena sacra *sacramentum*; contra Lutheri ex mente nunquam cessisse id, quod *sacrificii* causa admiserant in coenam Pontificii, videlicet naturalem aliquam corporis Christi praesentiam. Ipsam igitur quum abjecisset Lutherus missam, superfuerunt quaedam missae quasi reliquiae, quas in digerendas atque componendas multum quidem laborem per totam vitam consumsit ac studium; sententiam tamen, quae stabilitatis aliquid haberet, nactus non est.¹⁾ Quid igitur mirum quod Scheibel et alii, quos hac aetate habuit Lutherus assectatores, quo firmitus conderent suam opinionem, revertebantur rursus ad nescio quod sacrificium, quasi ad cunabula, unde universa exorta est ipsorum res?

§. 55.

Attamen una patebat quasi janua ac via, qua ingressis Chemnitio, aliis puriorem illam introducere licuit in Lutheri ecclesiam doctrinam, e qua unum tantummodo stabilitum esse vidimus gratiae medium, videlicet verbum, eandem conferens et in sacramentis et extra sacramenta gratiam (§. 8). Lutherus enim, quum ad remissionem peccatorum eaque fidei salvificae adjumenta refert coenae finem, quae ex certa divinae gratiae conscientia ad animum redundant, nunquam tamen negat, posse homines talium bonorum fieri participes ullo alio modo, nisi

1) Corrigenda igitur nimis acris haec Schneckenburgeri (Vergleichende Darstellung I. p. 222) sententia; in qua quid sit verum, ipsi agnovimus (§. 51): „Wenn reformirte Streiter noch jetzt die lutherische Lehre vom heiligen Abendmahl mit der Transsubstantiation zusammenwerfen und katholtisch finden, so verrathen sie nur ihre Unwissenheit und Herzensträgheit. Gerade der Katholik genießt nicht den Leib und das Blut des Herrn, sondern nur seine Species. Der Herr selbst wird dem Vater zurückgeschickt, und es ist bloß die Gesseswirkung, welche vom opus operatum zurückbleibt in dem subjectum.“ Quo quidem iudicio nos nihil movemur, postquam firmis probavimus rationibus sententiam. Denique ponit et ipse Dieckhoff (I. c. p. 9) in hoc potissimum Lutheri meritum, quod conjunxit cum fide salvifica *illam de sacramentis doctrinam, quam aevo, quod dicitur, medio tenuit ecclesia*.

per sacramentum altaris; quotiescunque igitur plenius docet de auxiliis, quibus Deus in largienda sua gratia utitur, conjungit cum verbo sacramenta; ¹⁾ sacramentalem promissionem ducens non peculiare aliquod ac prorsus singulare verbi divini genus, sed totius evangelii tantum summam et quasi compendium. ²⁾ Nihilominus, si nos aliquid possumus judicare, id certum ac persuasum semper habuit Lutherus, verbum illud sacramentale, postquam cum Christi corpore et sanguine ipsius Domini ex institutione est conjunctum, neque posse neque debere ullo modo ab hoc corpore et sanguine separari; unde et ita contra Cajetanum disputat, ut postulet in hominibus, sacramentis utentibus, fidem quandam, non communem, sed singularem, ad praesens sacramentum intensam. ³⁾ Atque huc quidem pertinet, quod in minore catechismo interroganti, qui possit tantas res efficere corporolis manducatio, haec fere respondentur: „manducare et bibere ista certe non efficiunt, sed *illa verba, quae hic ponuntur*: pro vobis datur et effunditur in remissionem peccatorum; quae *verba sunt una cum* corporali manducatione caput et summa hujus sacramenti; et qui credit his verbis, ille habet, quod dicunt, et sicut sonant, nempe remissionem peccatorum“ ⁴⁾. Quomodo hic corpus et sanguis quasi existunt verbi appendices, ita vice versa in majore catechismo verbum appendix corporis; ubi disserit autor „de tali pane et vino, quae Christi corpus et sanguis sunt, et verba secum conjuncta habent“ ⁵⁾. Quae quum ita sint, nos non alium fuisse credimus

1) id quod accuratius perscrutati sunt Schenkel: *Befen* x. I, p. 397 405. *Untersuchung*: p. 143. 144. 209. 241. 255. 263. J. Müller in *dissertatione* de Lutheri et Calvini comparandis sententiis supra laudata.

2) Dieckhoff l. c. p. 218. 219.

3) Dieckhoff l. c. p. 189.

4) Concordia ed. Rechenberg. p. 381. 382. Latinam laudamus versionem, quippe quae, confecta ante oculos Lutheri, accuratiorem sensum exprimit, quam illud „neben dem leiblichen Essen und Trinken“, quod habet vernacula lingua. In editione Vitebergensi desideratur omnino illud „una cum.“

5) Concordia p. 556. 557.

Lutherum ante, alium post exortas cum Zwinglio controversias; sed quod semper in animo insederat, idem cum Carolstadio, Oecolompadio, Zwinglio, Bucero congressus, ad aliquam artis formam redigere studuit. Testatur igitur anno 1527 coram Deo, se nunquam idem sensisse, atque tales homines. Quod vero nota illa, quam scripsit anno 1524 ad Argoratenses, epistola¹⁾ discrepare videtur a tali testimonio, nihil est; neque enim quinque annis ante se ipsum talia fuisse suspicatum dicit, sed hoc dicit: magnopere se in certamine illo, contra Papam gesto, adjutum fuisse, si alius cujusdam opera tale quid sibi probari potuisset. Erit igitur nulla hac in re discrepancia nisi quod priore tempore Lutherus contra Pontificios invecus de vero usu, postea Zwinglium adortus de vera sacramenti natura disputavit²⁾.

§. 56.

Quae quum ita sint quumque palinodiam Lutherus nunquam cecinerit³⁾, ipse audiendus est, qui in ultimo, quem edi-

1) De Wette. II, p. 577: Das bekenn ich, wo Dr. Carlstadt oder jemand vor 5 Jahren mich hätte mögen berichten, daß im Sacrament nichts, denn Brod und Wein wäre ic.

2) Sermon wider die Schwärmeister 1526. Erlang: 29, 329 seq.: „Als ich wider den Mißbrauch gepredigt habe, habe ich mich der Reheret nicht versehen, die jetzt überhand nimmt, und nur mit Jenen geschlagen über den rechten Brauch“. „Du hab ich bisher vom ersten Stück, dem *objectum fidei*, daß im Brod und Wein wahrhaft Christus Leib und Blut sei, nicht viel gepredigt.“ „Weil aber jetzt dasselbige von vielen angefochten wird, und sich die Prediger, die auch für die besten gehalten sind, darüber spalten und rotten, daß bereits in auswendigen Bändern eine große Menge darnuf fällt und hält, daß Christus Leib und Blut nicht im Brod und Wein sei, will es die Zeit fordern, davon auch etwas zu sagen.“

3) Quodsi Lutherus saepissime dicitur vix illum, quam posuerat ab initio inde in verbo sacramentali, non ita multo post obortas turbas sacramentarias collocasse in elementis externis, non nihil nos ambigimus. Cuius quidem sententiae speciem quandam praebent verba, quae supra (§. 56) ex catechismo majore laudavimus; via totius spectatur orationis contextus (Concordia p. 557. 558), verbo includitur universus ille sacramenti „thesaurus“, de quo Lutherus disputat.

dit de corpore et sanguine Domini, libro, qui brevis confessionis inscripsit titulum, se cum tota sancta ecclesia, quae fuit per quindecim saecula, immo cum ipso Papa stare contra sacramentarios graviter affirmat. Quod enim verum ac reale Christi corpus ipse monachus olim manducaverat, idem ne postea quidem sibi eripi unquam passus, uno omnium, qui missam celebrant pontificiam, cantu et ipse profitetur:

sumit unus, sumunt mille,
quantum iste, tantum ille,
nec sumtus absumitur; —

in hoc uno discrepans a veteri doctrina, quod adesse voluit sub pane Christi corpus nonnisi in manducationis actu ¹⁾).

§. 57.

Jam vero quo arctiore propinquitate conjunctae videbantur de corpore et sanguine sententiae, in medio positae et a Romanis doctoribus, et a Luthero, eo magis verit in omnium conspectum, quid revera intersit inter eundem Lutherum ac Reformatae ecclesiae theologos. Novumque plane admovebitur ad illustrandam hanc rem lumen, ubi totum sacramentorum finem contineri meminerimus in remissione peccatorum. In qua quoniam universa fere versatur illa justificatio, quae est doctrinae Lutheranae quasi caput atque summa, Schneckenburger eodem referre et de coena doctrinam non dubitavit: justificationis enim, quae fit, coram Deo, fructus quidam et memoria, ut ad nos quoque redundaret, esse instituta sacramenta ²⁾).

1) Est igitur tam vero, quam falso disputatum, quod contendit Jul. Müller (*Symbolen und Ritschen*: 1856 p. 543): „daß der lutherische Abendmahlbegriff vermöge seines wesentlichen Unterschieds vom römischen eine wirkliche Immanenz des Leibes und Blutes Christi in den Elementen, also auch außerhalb des Gebrauchs, gar nicht lehrt“. Cfr. §. 23.

2) Zur kirchlichen Christologie. p. 58 sqq. Vergleichende Darstellung. II, p. 49. sqq. 82. 285: Gerade die Ausbildung des Justifikationsbegriffes zu jenem actus foraneis, welche ganz besonders die Arbeit der lutherischen Theologie war, hat die lutherische Abendmahllehre als eine Ergänzung nothwendig gemacht, um

Quoniam nemo justificatur nisi qui credidit evangelio, sequitur, ut requiratur etiam ad sacramentorum usum fides¹⁾. Itaque fit, ut cognosci possit aliquis dissensus in hac ipsa fide, quae pari utrimque postulatur industria. Christum enim, si Calvinum sequimur, „non extra nos procul speculamur, ut nobis imputetur ejus justitia: sed quia ipsum induimus et insiti sumus in ejus corpus, unum denique nos secum efficere dignatus est: ideo justitiae societatem nobis cum eo esse gloriamur“²⁾. Esse igitur „utendum sacramentis ita ut fides accedat“³⁾, est pariter in confesso, sive Lutheranam, sive Reformatam ecclesiam spectas. Attamen illius est sententia, quoniam justificati sumus per fidem, inserimur Christo per sacramenta⁴⁾; huic si credimus, quoniam augecit fides et per et extra sacramenta, unum cum Christo nos efficimur corpus itaque ipsi insiti sumus justificati⁵⁾.

§. 58.

Fides igitur, si Reformatae ecclesiae audiantur doctores,

die Idee der Lebensgemeinschaft mit Christus darin auszudrücken, als einer nicht bloß im subjectiven Vorstellen bestehenden Realität.

1) Affert hanc quoque Lutheranae sententiae quasi epitomen ac summam Dieckhoff p. 181: Es ist eine Entwicklung im Menschen von Glauben zu Glauben. Die eigenthümliche Bedeutung der Sacramente zur Hervorbringung dieses Prozesses bezieht sich nicht sowohl auf die Anfänge des Glaubens, als auf seine Vollenbung.

2) in. 8, 11, 10.

3) Conf. Aug. 18.

4) Schneckenburger: Vergleichende Darstellung. I, p. 185: Also die wesentliche Inwohnung Gottes, das reale Antheilhaben an Christus, die wirkliche communio mit ihm, wird unterschieden von dem Ergreifen des Verdienstes Christi im Glauben, als einer bloß moralischen oder formalen unio; jene ist etwas erst auf diese folgendes, gleichsam den Glauben objectiv Füllendes.

5) ib. p. 195: Es ist folglich reformirt die unio cum Christo nicht, wie lutherisch die unio mystica, Folge und Effect der Justification, sondern Bedingung derselben, also zusammenfallend mit der Genesis des Glaubens schlechthin. Sowie der Glaube aufgeht, ist die unio cum Christo gegeben. p. 197: Die Realität der unio ist folglich der Glaube selbst. p. 198: Er ist selbst die unio mit Christus, und darum das Mittel der communio bonorum Christi, cfr. p. 194—204. II. p. 97. 113. 114. 268. zur kirchlichen Christologie. p. 55.

erit habitus quidam ac novus totius hominis status, qui, quoniam divinitus instauratur, cognatione quodam conjungitur cum ipsius autore et objecto Christo¹⁾; facile igitur tota illa via, qua ingressi homines quasi per stationes vocationis, conversionis, sanctificationis ipsam tandem persequuntur salutem ita describitur a theologis, ut ad lineam fere facta directo ferat ab electionis primordiis ad aeternae vitae consummationem²⁾. Quid enim ultra postulemus, nisi ut Christus nascatur in nobis, natusque semel adolescat in summam aetatis perfectionem? Atque a mediis illis gratiae quid petas, ultra ut efficiant? Ac si ita continuo proficit unio illa cum Christo, ut nusquam ejus processus novis quibusdam interrumpatur viribus ac motibus, sed una eademque illa augescat tantum, invalescat novaque capiat incrementa: quid est, quod amplius dicatur alia esse in sacramentis manducatio, alia extra? Est enim una ac vitalis Christi caro sive humanitas (§. 28), qua quum per verbum, tum per sacramentum „pascit nos et nutrit“, „ut unum cum ipso facti vitam cum ipso communem habeamus“³⁾; spectatque huc potissimum simplicissima de sacramentis doctrina, ut „augescat Christus in nobis, et nos in ipso“⁴⁾. Nam „unum cum ipso nos effici et in ejus corpus coalescere nos oportet“⁵⁾. Denique quod *agitur* per universam Christianorum vitam, idem plane et in sacramentali *actione*.

§. 59.

Quodsi hinc transitum facimus ad Lutheranorum doctrinam, res tractanda erit multo minus expedita. Lutherani enim, postquam unionem quandam mysticam in ipsis jam fidei originibus

1) cfr. J. Müller: *Die evangelische Union*. p. 222. 280. Ebrard: *Dogmatt.* II, p. 309. 314. 315.

2) Schneckenburger: *Vergleichende Darstellung*: I, p. 202. 225 — 233. II, p. 108. 109.

3) Conf. Gall. 36.

4) Cons. Tig. 19.

5) ib. 5.

et incrementis ponere omiserunt, ita compensare instituerunt intermissa, ut finem imponant toti ordini salutis unionem cum Deo mysticam; disertis igitur verbis hoc declaratur, non solum dona Dei, sed ipsum Deum habitare in credentibus¹⁾; ita tamen, ut „inhabitatio Dei sequatur antecedentem fidei iustitiam“²⁾. Itaque quum in ipsa hac unione cernatur ille, quem per sacramenta assequimur (§. 57), justificationis fructus, dividi sequitur omnem Christianorum vitam in partes duas, quarum versetur altera in sola fide, in alteram promineat nescio quid novi, hauriendum quasi ex sacramenti fontibus. Duas igitur excogitare salutis vias, duo ipsius gratiae genera, necessario denuo cogimur. Id quod ita modo fieri posse supra demonstravimus (§. 44), ut per verbum, quod creditur, animae, per sacramentale corpus Christi, quod sumitur, corpori afferri auxilia statuamus, habeamusque sacramentum non *actionem*, sed *rem*.

§. 60.

Ac nunc quidem, quo loco collocandus sit Zwinglius ille, de quo maxima est inter viros doctos hodie quoque altercatio, liquet. Qui enim ut Calvinum reddant Lutheranae confessioni addictum, bona fide operam impendere velint, videant, ne ad Zwinglium multo propius ille abeat. Nam Calvinus, quamvis profanam falsamque appellet Zwinglii doctrinam³⁾, vehementioribus tamen verbis prosequitur illos, qui in, cum, sub pane et vino manducari contententes corpus et sanguinem Christi, sanguinem a corpore necessario divellere videntur; „et qui ejusmodi — inquit⁴⁾ — portenta evomunt, adeo eos non pudet sui dedecoris, ut nos ultro atrocibus conviciis impetant, quia non subscribimus.“ At multo remissius disserit, ubi cum Zwinglio agens, haec fere facit verba⁵⁾: Christum esse panem vitae,

1) Concordia. p. 698.

2) ib. p. 695.

3) id quod affert Jul. Müller. Studien und Kritiken 1856. p. 345.

4) in. 4, 17, 17.

5) in. 4, 17, 5.

quo in salutem aeternam nutrantur fideles, a nemine, nisi a prorsus irreligioso negari; sed hoc non perinde convenire inter omnes, qualis sit ejus participandi ratio; esse enim, qui manducare Christi carnem et sanguinem ejus bibere, uno verbo definiant, nihil esse aliud asserentes, quam in Christum credere; verum voluisse Christum expressius quiddam et sublimius docere in praeclara illa coeione, ubi carnis suae manducationem nobis commendat: nempe vera sui participatione nos vivificari; quam quidem participationem manducandi ac bibendi verbis ideo designari, ne, quam ab ipso Christo vitam percipimus, percipi quispiam putet simplici cognitione; quemadmodum enim non aspectus, sed esus panis corpori alimentum sufficiat, ita vere ac penitus participem Christi animam fieri, ut et ipsius virtute vegetetur in vitam spiritualem. „Verum hoc inter mea et istorum verba interest, quod illis manducare est duntaxat credere, ego credendo manducari Christi carnem, quia fide noster efficitur, eamque manducationem fructum effectumque esse fidei dico; aut si elarius velis, illis manducatio est fides, mihi ex fide potius consequi videtur; in verbis quidem parum, sed in re non mediocre est discrimen. Nam etsi docet apostolus, Christum in cordibus nostris habitare per fidem, nemo tamen habitationem istam fidem interpretabitur, sed eximium fidei effectum explicari omnes sentiunt, quod per ipsam fideles consequuntur, ut Christum in se habeant manentem.“

§. 61.

Habes igitur ab ipso Calvino explanatum, quid differat inter ipsum et Zwinglium; id quod valde extenuabitur et immuetur, si quem fidei effectum a Calvino vidimus separari ab ipsa fide, eundem animadverteris a Zwinglio uno verbo cum fide comprehendi ¹⁾. Qui quum de sacramentis tenuem duntaxat

1) Cfr. quae Schneckenburger: *Theologische Jahrbücher* 1848. p. 85. 86. hunc in modum de Calvini sententia disputavit: Sie schließt sich nicht nur durch die gleiche rein verständige Betrachtung der äußern Elemente, durch dieselbe

ac jejunam tenuerit doctrinam, tamen ipsam fidem in pleniorum illum revocavit sensum, quem esse vidimus Reformatae ecclesiae proprium (§. 58)¹⁾, ut ex hoc totius doctrinae capite etiam singulis membris, si forte aegrotassent, redundaret aliqua medicina²⁾. Itaque factum est, ut Calvinum falleret quidem omnis cum Lutheranis reconciliandae spes pacis (§. 26), sed cum Zwinglii assectatoribus facillime consentiretur. Cujus quidem pacis exstat monumentum consensus ille Tigurinus, quo nec Zwingliani neque Calvinus discessisse nobis videntur a sentiētiis, quas erant prius amplexi: sed explebant Zwin-

christologisch negative Begründung dieser Betrachtungsweise, sondern auch dadurch genau an die Zwinglische an, daß sie den Glauben, das Moment der Subjectivität zur Basis macht, in ihm die reale unio mit Christus schon befaßt sein läßt, und nur den Inhalt dieser unio, die in ihr beschlossenen Güter dem communicirenden Glaubenssubjecte nach den symbolisch vorgestellten Gegenständen und nach der Symbolik des Actes selbst, als einer Glaubensbefähigung reicher und voller zum Bewußtsein bringt, gleichsam eine tiefere psychologische Region der Aides hervorkehrt, und darum die Wirkung des Sacramentsgenußes auf und für das Glaubenssubject ebenfalls unmittelbar auf jene absolute Causalität des heiligen Geistes, die alles Glaubensleben bedingt, zurückführt.

1) Ebrard: Abendmahl. II, p. 74: „An Christum glauben“, und „im Haupte leben“ gilt ihm gleich. p. 88: Der Glaube ist bei Zwingli nichts anderes, als eben jenes Leben Christi in uns, als eben jene Totalität der Heilsan-eignung. In eundem sensum disputat Sigwart l. c. p. 148. 151 sqq. Quod contra dicit Dieckhoff l. c. p. 471. 472 exigui est momenti.

2) Ebrard l. c. p. 101: Wir müssen uns nun aber durchaus erinnern, daß wir es hier nicht mit dem Glauben im Sinne Luthers, sondern mit dem Glauben im Sinne Zwingli's zu thun haben, nicht mit jenem subjectiven credere, welches die Heiligung und unio mystica noch außer sich hat, sondern mit jener objectiven Aides, welche mit dem Leben Christi in uns und unser in Christus ohne Weiteres gleichbedeutend ist. Schneckenburger l. c. p. 81: War ihm auf diese Art die objective Möglichkeit der Sache entschweben, so hatte sein religiöses Bewußtsein auch gar keinen Raum, in welchem das Bedürfnis einer solchen Gemeinschaft mit Christus, eines solchen Genußes Christi entstehen konnte, da ihm die realste Einheit mit dem Gottmenschen eben im Glauben schon gegeben war. Sigwart l. c. p. 215: Die Aneignung des Heils, richtiger die Realisation der Erwählung ist für Zwingli mit dem Einwohnen des Geistes im Glauben vollendet, und kann durch kein weiteres äußeres Moment bewirkt oder auch nur positiv unterstützt werden.

gliani, de ~~sacramentis certam~~ statuentes doctrinam, quasi tabellas, quas ipse Zwinglius reliquerat vacuas; Calvinus totam suam doctrinam his fere comprehendebat verbis: ¹⁾ „etsi distinguimus, ut par est, inter signa et res signatas, tamen non disjungimus a signis veritatem; quin omnes, qui fide amplectantur illic oblatas promissiones, Christum spiritualiter cum spiritualibus ejus donis recipere adeoque et qui dudum participes facti erant Christi, communionem illam continuare et reparare fateamur.“

§. 62.

Quae quum ita sint, Tigurinum illum consensum nos arbitramur esse non tam, ut plerique volunt, deformatam ac mutilatam Calvini, quam Zwinglii potius excultam doctrinam conformatamque ad Calvini exemplar. Nihilominus hoc potissimum inter ipsum Zwinglium et Calvinum manebit discrimen, quod illius e sententia tantum per modum commonefactionis excitat Deus fidem, sicut talis commonefactio, ubi *prior adest fides*, et a picturis sumi potest, ita ut adjuvetur tantum „fidei contemplatio.“ ²⁾ Contra si Calvinum sequimur, non vacua revertitur a commemoratione Christi sacramentali fides, sed plenum inde reportat fructum; quippe quum in ipso temporis momento, quo fruamur elementis, intercedat operantis in animis nostris Christi nobiscum communio. Est igitur *actus solius hominis* e Zwinglii, ³⁾ *actus Domini* quoque e Calvini sententia sacramentum. Sed *actionis* quum uterque faciat gravissimum momentum, viribus unitis oppugnant *rem* illam, ad quam Lutherani, si sibi ipsis volunt constare, delabuntur. Et

1) Cons. Tig. 7 (al. 9).

2) fidei ratio 8. cfr. Schneckenburger l. c. p. 85.

3) Sigwart l. c. p. 191: „Das Wesentliche im Sacrament ist also nicht was durch das objective Zeichen, sondern was durch die darauf sich beziehende Handlung des Subjects dargestellt wird. Dieser Unterschied ist genau festzuhalten, wenn Zwingli's Verhältnis zu Calvin bestimmt werden soll.“ „Es handelt sich nicht darum, was das Zeichen, sondern darum, was der Empfang desselben symbolisirt.“

hac quidem e parte communi prorsus Zwinglius et Calvinus agunt rem consilio, toto genere differentes ab illis pectoris angustis, quibus commotus, ut hunc modo afferam, Ernesti Lutheranus ¹⁾ „veram efficaciam et vim agnoscere non potest, nisi hanc, quae est ei rei, cui tribuitur, insita haeretque in ejus vel universa natura, vel parte aliqua“; merum praesentiae nomen relinqui a Reformatis questus. ²⁾

§. 63.

Retulimus dissidii illius, quod intercedit inter ecclesias Romanam, Lutheranam, Reformatam, materiam; in qua, dummodo subsistant Lutherani in ancipiti illo, quod placuit prioris aetatis ecclesiae orthodoxae, dogmate, quid sit, quod obstat, quominus altera nostra ecclesia alteram toleret, donec plenior errantibus lux affulserit, intelligi non potest. Putaverat olim God. Guil. Leibnitius, ³⁾ posse utrimque conveniri in hac fere propositione: accipi *simul* in sacramento et terrestrem materiam et coelestem. Atque optime sane perspexit vir clarissimus controversiae statum. Si enim rejicitur a concordiae formula *localis* Christi in pane praesentia, quid restat, nisi ut accepto et manducato pane *simul* accipiatur et manducetur corpus Christi? id quod Quenstedt disertis verbis affirmare non dubitat. ⁴⁾ Atque eodem vergere videmus etiam de verbo Dei doctrinam Lutheranam; ne-

1) Opuscula 1773. p. 155. cfr. p. 138.

2) Schneckenburger: Vergleichende Darstellung. II. p. 269: Wenn man heut zu Tage sich darüber mokiren hört, daß jemand etwas für eine bloße Idee erklärt, d. h. eine Eshmäre, weil es nicht mit Händen zu greifen ist: so konnten in gleicher Weise die Reformirten sich nur entsetzen über den lutherischen Unversand, der die gläubige Erinnerung Christi für etwas Wesenloses halte, dem eine fleischliche Gegenwart surrogirt werden müsse, da ihnen ja der Glaube selbst die allerrealste Gemeinschaft mit Christus, also die wesentlichste Gegenwart des Gottmenschen in seiner lebensschaffenden Heilskraft ist. Allerdings nur in seiner Kraft und Wirkung; aber Kraft und Wirkung ist eben die Erscheinung des Wesens, während ein Wesen, das nicht erscheint, nichts ist.

3) discours de la conformité de la foi avec la raison. §. 18.

4) *simultaneam* ponit manducationem prs. 4. op. 5. sect. 1. th. 14.

que enim ~~concordiae formulam~~, neque alium ullum e doctoribus adeo usque sibi constare nuper demonstravit Jul. Müller, ¹⁾ ut Spiritus sanctus efficaciter adesse dicatur solum *in* verbo, operari solum *per* verbum, sed nusquam non reperiri illam vocem, absonum quid sonantem, qua, comes tantum verbi, Spiritus agat in hominum animos *cum* verbo. ²⁾

§. 64.

Hinc igitur si procedere velis atque ita examinare controversiam, adeo imminuta apparet, ut tota fere abeat in nudam *λογωμαχίαν*. Ac primum quidem hoc inter utrosque constat, in spirituali manducatione versari totius sacramenti fructum ac finem (§. 33); litigatur igitur non de ipso fine, sed de mediis tantum, quibus perveniat ad finem. Deinde fatentur utrique, remanere ad finem usque et panem et vinum, neque conversionem fieri elementorum in corpus et sanguinem Christi; porro consentiunt, exhiberi in coena hoc corpus, et quidem modo non crasso vel sensibili, non ad corporum modum, sed ita tantum, ut postulat sacramenti ratio. Franciscus igitur Turretinus ³⁾ non quaeri statuit de ipsa Christi praesentia; sed de modo tantum, qui dicitur sacramentalis, sitne corporeus et per *ἀδιασπασίαν*, an vere spiritualis certari. Quum igitur Reformati se contentos gloriantur eo praesentiae genere, quod planum ac tota scripturae consentaneum esse affirmant, Lutherani novum plane atque inauditum praesentiae modum postulant. Quem quum incomprehensibilem esse non modo concedant, sed imperiose deposcant, utrinque profecto videtur acquiesci posse in verbis illis, quae feruntur Durandi: verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus.

1) Studien und Kritiken 1856. p. 334 sqq.

2) cfr. Quenstedt: prs. 4. p. 170: verbum Dei efficaciter et vere convertit, illuminat, salvat, in illo, cum illo et per illud operante Spiritu sancto.

3) inst. theol. prs. 3. loc. 19. qu. 28. num. 4.

At mutabitur omnis rerum conditio, ubi a modo praesentiae sacramentali revocaveris quaestionem ad ipsum Christi corpus et sanguinem. Quod enim Lutherus et solida illa, quae vocatur, declaratio corpus docent omnipraesens ore manducari, repudiant Reformati, utpote rem insuperabilibus obnoxiam difficultatibus; quare et argumenta petunt contra Lutheranos tum ex ascensionis articulo, tum ex veri corporis proprietatibus. Porro Lutherani quum omnino non possint, quin verum illud ac naturale corpus, quamvis dicant esse gloriosum, aliquo modo panis signo annectant, „in elementis obstupescere et illic affigere salutis suae fiduciam“¹⁾ haud sine aliqua veritatis specie videntur Reformatis. Neque parvi esse ducendum hoc discrimen facile intelligis. Sin pax erit concilianda non solum inter homines, sed inter ipsas sententias, duplex tantum aperitur via. Nam quoniam non tota abibat Lutheranorum doctrina in sacramentarismum partem, sed priore quidem aetate firmissimis interpositis tumentis illud cavebat, sperandum aliquis censeat, fore, ut de anticipiti ac difficili ipsorum re illi certiores facti obtemperarent meliora docenti; quae si ita fiant, et a Reformatis nonnulla esse in ipsorum dogmate corrigenda, facile ab omnibus conceditur.²⁾

1) Cons. Tig. 9.

2) Nitzsch: Deutsche Zeitschrift für christliche Wissenschaft 1857. p. 201: Ueberhaupt aber findet es sich jedesmal, daß die am Meisten zwistigen Punkte der Lehre gerade diejenigen sind, wo sich die wundesten und mangelhaftesten Stellen protestantischen Lehrbegriffs auf beiden Seiten befinden. Die räumliche Beschränkung des himmlischen Leibes Christi sammt dem elevare animam sind nun einmal unhaltbare Meinungen, dafern sie nicht durch die helvetische Confession und Calvin selbst halb zurückgenommen erscheinen; und die monophysitische Ausschweifung, die Hollarung des Fleisches Christi, dessen leblicher Genuß dennoch rein ethische Wirkungen haben soll, die absolute Allenthalbenheit und der reale Genuß der Ungläubigen, der so schwankend, zaghaft und unvorstellbar ausgedeutet wird, sind in theologischer Hinsicht von Anfang her mitten in der lutherischen Kirche so fraglich und bedenklich geblieben, daß der Rückschritt von bei-

Nos vero id potius credere volumus, nondum esse satis accurate de tota hac re disputatum. Expectemus igitur novam quandam quum de aliis rebus, haud ita paucis, tum de corpore ac sanguine Christi doctrinam, ita excogitatam, ut de prioribus sententiis desinat certamen, ac laetior quaedam et uberior efflorescat omnium rerum divinarum cognitio.¹⁾

§. 66.

Scriptis ante hos quinquaginta fere annos commentationem Phil. Marheineke,²⁾ in qua triplicem disputat inveniri in historia expressam de praesentia Christi in coena sententiam. Quod quomodo pertexuerit, enarrare hujus loci non est. Verum quoniam nos quoque duplicem quidem de corpore et sanguine Christi cogitandi rationem ipso in operis exordio posuimus, ut haberemus, ubi pedem figere undeque in latum historiarum campum possemus excurrere, hoc omittere nolumus, in evolvida sua triplici sententia etiam a Marheineke observatos fuisse temporum gradus et processus, ut historia monet ipsaque rei natura. Ac primam quidem simplici fide maxime contentam aetatem inclinare dicit³⁾ ad ecclesiae Reformatae confessionem; ad Lutheranae secundam, quam procedere facit usque ad saeculum nonum; ad Romanae scholasticam tertiam. Id quod de tota atque continua dogmatis nostri historia rectissime dictum fuisse intelligis, modo inverteris ordinem illum confessionum. Nos enim, quamvis neque unam, neque alteram de corpore Christi sententiam ulla aetate penitus defuisse negemus, immo ad hunc usque diem divisum videamus totum orbem terrarum

berseitiger Spitze auf die Schrifttheologie und auf die zugestandene mystische Grundlage tatsächlicher und realer Aneignung Christi im Abendmahl aller Fortbildung vorhergehen muß, dafern etwas gewonnen werden soll.

1) Schleiermacher: Der christliche Glaube §. 140. 4.

2) Sanctorum patrum de praesentia Christi in coena Domini sententia triplex sive sacrae eucharistiae historia tripartita. 1811.

3) l. c. p. 8.

christianarum in tuenda et propugnanda vel una, vel altera de corpore Christi sententia: has tamen ponimus totius rei origines et progressus, ut ab ecclesia, quae olim floruit sub imperio Romano, quum in re sensibili positam fuisse dicamus sacramentorum vim, tum aliquo modo affixum pami ipsum corpus Christi. Quam quidem sententiam et postea quae exstitit ecclesia Pontificia est amplexa, ita tamen, ut aliquis locus daretur puriori illi Augustini doctrinae, e qua tandem ortum est et *Lutheranae* ecclesiae dogma, in quo tamen agnosci possunt etiam vetustae de corpore Christi doctrinae quaedam vestigia, et *Reformatae*; quae quoniam omnem sacramenti vim posuit in actione, de corpore quoque Christi aliquid novi sentire coepit.

§. 67.

Atque eodem plane spectat et vetus illa, quae maxime erat inter scripturarum interpretes controversia de institutionis verbis. De qua re quamvis cumulentur libri, nunquam omnino erit ad finem debellatum, si nihil praeter copulam *esse* attenderimus, utrum debeat proprio sensu accipi, an metaphorice, ¹⁾ alia id genus. Bellarminus ²⁾ enim contra Calvinianos disputat, nullo ab evangelista indicari, corpus dictum fuisse sensu improprio; idem Gerhardus ³⁾ premit contra Bellarminum, neminem accessisse ex sacris autoribus ad eam panis significationem, quasi externa sola species esset relicta. Idem Calviniani contra Gerhardum, nusquam in biblis talia exstare verba, qualia sunt: id quod in, cum, sub pane exhibetur, est

1) Ernesti l. c. p. 144: vis significandi non est in verbo esse, quod nullam nisi coniungendi praedicati cum subjecto vim habet, sed in ipso praedicato. — Büchert: Abendmahl. p. 102. 108: Die Neuzeit (?) hat erkannt, daß aus dem Bischen *esse* weder für diese, noch für jene Auffassung etwas genommen werden könne, und daß Luther ebenso sehr im Irrthum war wenn er mit seinem „das ist“ den Sieg erringen wollte, als Zwingle, wenn er für sein signifi- cation Beispi- cle sammelte.

2) de euch. 1, 10.

3) 22, 12, 122.

corpus meum. Rursus est permagna ipsorum, qui tropice interpretantur, fluctuatio, aliis quaerentibus in subjecto tropum, aliis in copula, aliis in praedicato. Torqueri igitur infinitum in orbem omnem, quae petitur ex scripturis argumentationem intelligis; nec prius torqueri desinet, quam intima totius quaestionis medulla erit perspecta ab omnibus. Quod enim agitur, hoc est: quod corporis et sanguinis vocibus ingeritur intellectui, utrum sit res aliqua, ab ipso Christo diiuncta, an recte referatur a Melancthone ad totum Christum, a Calvino ad Christi humanitatem; deinde quoniam corpus inducitur *fractum*, sanguis *effusus*, utrum *actus* quidam significetur, necne.¹⁾ Atque hoc quidem e cardine omnis pendebit, quae futura est de institutione, controversia.

§. 68.

Jam vero qui homines veritatis studio imbuti hodie stant a Lutheri partibus, hoc vel maxime operam dent oportet, ut eam corporis et sanguinis Christi notionem sibi fingant animo, quae possit certo aliquo artis ac disciplinae modo concludi. Quum enim Calvino quoque extremae dementiae visum sit, nullam agnoscere eum carnae et sanguine Domini fidelium communionem,²⁾ hanc libentissime excipiet a Lutheranis corporis Christi definitionem, qua aliquo modo hoc effici possit, „ut —

1) Rückert l. c. p. 109: *zovoo* blieb und bleibt das Dargestellte, aber nicht wiefern es Brod, sondern wiefern es ein gebrochenes, das Sinnbild einer zerstörten Sache war. Denn daß er ihnen über das Brod als Brod nichts sagen wollte, erkannten sie gewiß. p. 176: Für uns entspringt aus diesem Umstande die Nothigung, das Wesentliche des Abendmahls nicht in den Stoffen zu suchen, welche dargeboten, sondern in der Handlung, die vollzogen wird, und daher auch die Worte als Erklärung nicht über die Stoffe, sondern über die Handlung anzusehen. — Anonymus: Studien und Kritiken 1858 p. 148: Das Gebrochene und auch zum Genuße Dargebotene, was symbolisch hier vertreten wird durch das gebrochene und zum Genießen gegebene Brod, das ist mein Leib.

2) in 4, 17, 8.

sunt, verba Gerhards praecleara ¹⁾ — Christi humanitas sit nobis via et ingressus ad divinitatem.“ Contra qui Calvinum sequuntur, id potissimum sibi animum inducant necesse est, ut unionem illam cum Christo mysticam, ad quam pertinent omnia fere ipsorum doctrinae capita, e nebulis ac tenebris, quibus multa ex parte hodie quoque offunditur, ad lucem protrahant, atque omissis iis quaestionibus ac formulis, quae nostri non sunt saeculi, eam ipsam indagent rationem, qua fieri potuerit, ut „mediator non tam sibi, quam nobis vixerit in terris“, ²⁾ quippe cujus „in carnem ex abscondito Deitatis fonte mirabiliter infusa sit vita, ut inde ad nos fluere.“ ³⁾ Quodsi utrique erunt assecuti, sperandum est, sibi obviam ituros et qui hac, et qui illa stant e parte, eamque obtenturos esse de corpore et sanguine Christi doctrinam, qua funditus tollantur priora dissidia. Id quod solertius ab omnibus fere, qui hisce in studiis versati sunt, appeti videmus, ex quo tempore Fr. Schleiermacher, missis factis prioris aetatis turbis, maiora moliri ac vitae aliquam cum Christo consociationem communitatemque, artis atque disciplinae modo concludendam, eniti inceperat. Quo e conatu id sane commodi redundabit in omnem rerum divinarum cognitionem, ut nemo amplius tam justam habeat cum Schellingio postulandi causam, veniatur nostris hisce in studiis tandem aliquando „ad rem.“

1) 22, 20, 212.

2) Maastricht: theoretico-practica theologia, p. 516.

3) Calvini defensio sanae et orthodoxae doctrinae. Opp. 8 p. 658.

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn



www.libtool.com.cn